

PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXII - N. 2

2000

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 2000

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Ex Allocutione ad "Assemblea dei Parlamentari del Mondo"	155
--------------------------------------------------------------------	-----

ACTA CONSILII

DICHIARAZIONE	159
DECRETUM de recursu super congruentia inter legem particularem et normam codicialem	162
QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	167
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS	169

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Responsa ad quaestiones de nova <i>Institutione Generali Missalis Romani</i>	171
----------------------------------------------------------------------------------------	-----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio I)	175
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio II)	228
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio III)	253
NOTITIAE	286
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	289

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

COETUS STUDIORUM « DE MATRIMONIO »

Sessio I
(dd. 24-29 octobris 1966 habiti)

Diebus 24-29 octobris 1966, in aulam sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Matrimonio.

Conventui intererant Exc.mi Schneider, Bank, et Lourdusamy; Rev.mi Chen, Chen-Tao-Che, Cremin, Flatten, Huizing (Relator), necnon Bidagor, Secretarius Commissionis, et Voto, a studiis ipsius Commissionis.

Adunatio I die 24 octobris 1966 – mane

Horum deinceps nomina *salvis titulis* afferentur.

Rev.mus Secretarius congregatos salutat, gratias agit de votis acceptis, et animadvertisit laborem coetus in novis redigendis canonibus esse preparare schemata, quae deinde instantiis superioribus examinanda subiiciuntur; statim aggrediatur successive studium singulorum canonum.

Cann. 1012 et 1013

Rev.mus Relator exponit vota et relationem.

Ponit quaestionem: Placetne asserta speculativa, quae non continent normam agendi nec constituunt fundamentum proximum normae agendi, non in Codice esse recipienda?

Exc.mus primus Consultor dicit quod definitiones dogmaticae, quae normam agendi non continent neque normis agendi fundamentum praebent, in Codice ponendae non sunt.

Rev.mus Secretarius: Estne recipienda definitio matrimonii in relatione proposita?

Exc.mus primus Consultor: In Codice iam habentur quaedam elementa definitionis; Relator alia elementa collegit ex constitutione *Gaudium et spes*; at non clare indicavit quaenam sint ex Codice, quaenam ex constitutione, quaenam ipse adiecerit.

Rev.mus Relator: Fontes accuratius indicat; § 4 novi canonis in relatione propositi est omnino nova et opinioni communi contraria.

Exc.mus secundus Consultor: In iure non requiritur definitio, sed descriptio, quae est fundamentum normarum canonicarum de matrimonio.

Exc.mus tertius Consultor: Nos matrimonium in se et per se definire non possumus; nova elementa in definitione relationis non placent; fines matrimonia debentne poni in definitione? Primum definiendum est matrimonium in genere, deinde matrimonium sacramentum; in relatione definitur tantum sacramentum.

Rev.mus quartus Consultor: Definitio sit iuridica simul et pastoralis, ut est in voto meo; definitio scilicet quae exprimat essentiam matrimonii et alia etiam elementa, ut mutuum adiutorium.

Rev.mus quintus Consultor: Si desideratur definitio matrimonii in genere antequam detur definitio matrimonii christiani, in illa poni nequeunt elementa a Rev.do quarto Consultore proposita; nequit dari definitio quae habet etiam scopum pastoralem, quia aspectus pastorales essentiam matrimonii consequuntur, non eam constituunt.

Rev.mus sextus Consultor: Definitio relationis partim desumpta est ex constitutione *Gaudium et spes*; hoc autem documentum est pastorale, non iuridicum; praeterea illa definitio continet elementa non vera: multa matrimonia valida sunt, dum tamen in illis deficit imago unionis Christi et Ecclesiae et amor coniugalis deest; definitio illa non est nisi descriptio matrimonii idealis, non est definitio essentiae; retineantur elementa quae sunt in Codice.

Rev.mus septimus Consultor: Proponit definitionem quae est in voto suo; non facile est dare definitionem rectam; possunt describi illa elementa quae ab Ecclesia sunt receptae.

Rev.mus Relator: Definitio matrimonii iam habetur in can.1081, § 2: ibi definitur consensus matrimonialis eiusque obiectum essentiale; atqui obiectum essentiale consensus matrimonialis est essentia matrimonii; at definitio huius canonis iam non concordat conceptioni matrimonia quam tradit Concilium.

Rev.mus Secretarius: In relatione datur definitio matrimonii sacramentalis, non matrimonii naturalis; proinde supponit definitum «quid

sit matrimonium»; nonnisi postquam hoc definitum fuerit, matrimonium inter baptizatos definiri poterit.

Rev.mus sextus Consultor: Remittatur quaestio quousque conclusiones Pontificiae Commissionis De Familia nobis communicatae non sint.

Rev.mus Secretarius: Quaestio ponenda est haec — estne definiendum quid sit matrimonium secundum naturam?

Exc.mus primus Consultor: Concilium non dedit definitionem matrimonii, nec nos illam dare debemus; quare quaestio potius remittatur.

Rev.mus Secretarius: Exponit distinctionem inter matrimonium in fieri et in facto esse; recolit descriptiones matrimonii Iustiniani et Modestini, quas antiqui canonistae receperunt, quin traderent definitionem matrimonii veram et propriam; non videtur nobis faciendum esse quod ipsi numquam fecerunt; porro in definitione contractus habetur sane obiectum contractus, at praeterea plura alia elementa necessaria sunt ut contractus habeatur.

Rev.mus Relator: Auctores classici retinuerunt quidem formulas iuris Romani, singula autem verba ita interpretati sunt ut verae definitiones fierent matrimonia; plures praeterea propriam definitionem dederunt; porro definitio obiecti consensus matrimonialis nequit esse alia ac definitio matrimonii ipsius; ipsum enim matrimonium est obiectum illius consensus, cum actus ab obiecto specificetur; in iure necessaria est talis definitio, cum ex ipsa defectus consensus diiudicari debeat.

Rev.mus sextus Consultor: Concilium hierarchiam inter fines matrimonii determinare non voluit; definitio relationis primo loco ponit amorem coniugalem, secundo loco procreationem; si omnino dari debet definitio, talis sit quae ab omnibus accipi possit.

Rev.mus Secretarius: Placetne ut post meridiem petantur suffragia de definitione matrimonii praemittenda necne?

Omnibus placet.

Can. 1014

Rev.mus Relator exponit vota et relationem. Addit se non insistere in verbis novi canonis in relatione propositi, sed tantum agere de substantia rei. Haec est, ut in dubio positivo et probabili de validitate matrimonii, ne a iure seu ab auctoritate ecclesiastica validitas partibus imponetur, sed ipsis decisio relinquatur, iuxta principia theologiae moralis de conscientia dubia; utique de dubio positivo et probabili legitime constare debet per sententiam ecclesiasticam; Societas Iuris Canonici Americae Septentrionalis approbavit conclusionem, praesumptiones scilicet facientes esse in favorem

personarum, non in favorem institutorum; requiritur insuper ut, praeterquam de dubio, etiam de absentia obligationis matrimonium convalidandi legitime constet per sententiam ecclesiasticam; ceterum sententia haec etiam utilis est ubi constat de nullitate: tunc etiam moralis potest esse obligatio matrimonium convalidandi.

Rev.mus quintus Consultor: Concedit in dubio partes obligari posse ad matrimonium convalidandum; nequaquam ipsis dari potest facultas vel libertas aliud contrahendi matrimonium; hoc valde periculorum est; viam aperit divortiis, saltem alicui speciei divortii.

Exc.mus secundus Consultor: Generale est in iure, debite scilicet factum supponi seu praesumi quod factum est, donec contrarium invicte probetur; oportet sane providere conscientias hominum, qui aliud vinculum contraxerunt stante priori matrimonio dubie valido; ad hoc tamen alia existant remedia, verbi gratia forma simplicior processus matrimonialis.

Exc.mus tertius Consultor et Rev.mus quartus Consultor: Favor iuris et praesumptio validitatis sunt retinenda.

Rev.mi sextus et septimus Consultores: Principium favoris et praesumptio validitatis mutari non possunt.

Exc.mus primus Consultor: Ipse relator admittit favorem iuris, quia affirmit in dubio positivo, probabili et insolubili standum esse pro favore matrimonii.

Rev.mus Secretarius: Exponit responsum Commissionis Codicis ad can. 1014, scilicet in dubio de validitate prioris matrimonii secundum matrimonium invalidum esse declarandum, dummodo causa pertractetur ad ordinarium tramitem iuris.

Rev.mus Relator: A iure divino non requiritur praesumptio validitatis; si iure positivo non statuatur, in dubio positivo et probabili de valore matrimonii applicari possunt principia theologiae moralis seu iuris naturales, quae talem praesumptionem ignorant.

Rev.mus Secretarius: Praesumptio nititur iure divino — Quod Deus coniunxit, homo non separat.

Exc.mus tertius Consultor: At homo etiam non debet coniungere, quod Deus non coniunxit.

Rev.mus Relator: Ipsum responsum Codicis, adiiciendo verba «*dummodo causa pertractetur*» etc., non voluit praejudicare quaestioni iuris naturalis seu moralis de usu secundi matrimonii, stante dubio de valore prioris matrimonii; unde satis patet, praesumptionem esse fori tantum externi; si autem est iuris divini, etiam in foro interno valere debet.

Rev.mus Secretarius: Praesumptio non *est* iuris divini, sed nititur iure divino; porro sublato principio generali favores, quoties in una sola instantia de-

claretur constare de nullitate, iam adest casus dubii positivi et probabilis, unde in sententia Relatoris partibus iam liberum erit ad alias advolare nuptias; non iam requirerentur duae sententiae conformes; tertia instantia fieret superflua.

Exc.mus primus Consultor: Immo nullus iam requireretur processus; dubium reducitur ad quaestionem conscientiae ab ipsis partibus solvendam; quod evidenter graves secumferret abusus.

Concluditur duabus esse respondendum quaestionibus:

1° An retinenda est praesumptio canonis 1014?

2° Si affirmative, quo loco in Codice ponenda est?

Adunatio II
die 24 octobris 1966, hor. 17 – 19.30

Petuntur sufragia: *Placetne in capite « De Matrimonio » praemittere definitionem matrimonii?*

5 non placet, 1 placet, 2 remissive: unde coetui *non placuit*.

Can. 1012, § 1

Exc.mus tertius Consultor: In voto meo loco « *contractum* » ponitur « *consensus* »; agitur enim de matrimonio in fieri; argumentum habetur ex can.1081, § 2.

Exc.mus primus Consultor: Opportunum non est; consensus est in utraque parte singillatim, contractus est actus communis partium; si non placet « *contractum* », potius dixerim « *matrimonium* ».

Rev.mus Secretarius: In documentis ecclesiasticis « *matrimonium* » dicitur evectum ad dignitatem sacramenta, in canone dicitur « *contractum* »; estne opportunum decernere utrum *matrimonium-contractus* an *matrimonium-status* dicatur evectum ad dignitatem sacramenti?

Exc.mus secundus Consultor et Rev.mi quartus, quintus, sextus et septimus Consultores: verbum « *contractum* » retinendum est.

Exc.mus primus Consultor: Potius dixerim « *ipsum matrimonium* »; sed mutatio non est necessaria.

Rev.mus Secretarius: Canon dicit « *ipsum* », scilicet contractum; illud « *ipsum* » habetne sensum?

Rev.mus quintus Consultor: Intentio fuit Legislatoris solum contractum sufficere ad sacramentum constituendum; haec doctrina vera est; Ecclesia potest praescribere formam ad matrimonium contrahendum, sed haec non est necessaria.

Rev.mus sextus Consultor: Verbum « *ipsum* », ut in § 2 « *eo ipso* », significat identitatem contractus et sacramenti.

Rev.mus septimus Consultor: Duae paragraphi canonis uniantur, ut in voto meo; canones ne sint nimis verbosa; sufficit affirmatio positiva contractum matrimonii inter baptizatos esse sacramentum; § 2 est superflua; addatur: « *Quare doceantur sponsi circa sanctitatem matrimonii, mutuas coniugum obligationes parentumque erga proles responsabilitates* », ut in voto; haec enim ex indole sacramentali profluunt.

Exc.mus tertius Consultor: Haec mutatio non est necessaria.

Exc.mus primus Consultor: § 2 explicite dicit, quod in § 1 implicite tantum habetur; verba proposita « *quare doceantur...* » non placent: omnes canones de effectibus indolis sacramentalis quodammodo agunt; res pastorales proprio ponantur loco; ceterum verba canonis, scilicet Christum Dominum contractum matrimoniale evexisse ad dignitatem sacramenti, maiorem habent vim pastoralem; innuunt historiam salutis.

Rev.mus Secretarius: Verba haec desumpta sunt ex doctrina Magisterii

Rev.mus septimus Consultor: Canon maneat uti iacet.

Rev.mus quintus Consultor: Verba canonis praferenda sunt; loco « *Quare* » in § 2 dicatur « *Inde* ».

Exc.mus primus Consultor: Duae paragraphi coniungi possunt; loco « *quare* » dicatur « *ita ut* ».

Rev.mus septimus Consultor: Duae retineantur paragraphi: altera identitatem matrimonii et sacramenti ex institutione Christi exprimit, altera eandem identitatem ex parte contractus.

Rev.mus Secretarius: Si duo baptizati insimul volunt contrahere matrimonium et excludere sacramentum, estne matrimonium? Ex § 2 liquet contrahentes utrumque aspectum disiungere non posse.

Rev.mus quartus Consultor: Placet ut loco « *quare* » dicatur « *ita ut* ».

Exc.mus primus Consultor: Duae paragraphi potius separatae maneant — altera prevalenter dogmatica, altera prevalenter iuridica.

Rev.mus Relator: Principium dogmaticum § 1 multo latius patet quam conclusio particularis § 2; in pluribus aliis canonibus quoque applicatur; quare distinctae maneant paragraphi.

Exc.mus tertius Consultor: Si paragraphi coniungantur, tota vis in § 2 esse videtur, quod non placet.

Rev.mus quartus Consultor: Loco « *quare* » dicatur « *et ita ut* ».

Rev.mus Secretarius: Tantum matrimonium inter baptizatos est sacramentum, non autem matrimonium dispar; unde § 1 speciale habet momentum.

Exc.mus secundus Consultor: Indoles sacramentalis matrimonii disparis est quaestio disputata.

Rev.mus Secretarius: Utique, at matrimonium ratum et consummatum dissolvi nequit, dissolvitur tamen matrimonium dispar etiam consummatum.

Exc.mus tertius Consultor: § 1 est declaratio principii, § 2 consequentia tantum particularis.

Petuntur suffragia: *Placetne retinere verba canonis 1012?*

6 placet, 2 non placet; ergo coetui *placuit*.

Can. 1013

Exc.mus primus Consultor: Nunc, post Concilium, canon mutari debet; finis personalis matrimonii ne nimis fini biologico et procreativo subordinetur, tamen fines expressis verbis aequali gradu poni non debent; quaestio de hierarchia finium suspendatur, usquedum a theologis et a Magisterio clarificetur; uterque finis simpliciter affirmetur.

Exc.mus tertius Consultor: Verba voti mei desumpta sunt ex constitutione *Gaudium et spes*, nn. 48 et 50; primum comma canonis in voto Exc.mi primi Consultoris non placet, quia non finem, sed ipsum matrimonium significet.

Exc.mus primus Consultor: Forte de verbis discussio fieri potest, non tamen de re ipsa ibi expressa.

Exc.mus tertius Consultor: *Coniunctio vitae* matrimonium est, non finis; finis est procreatio et cultus amoris coniugalis; in constitutione Concilii plures indicant fines: procreatio, mutuum adiutorium, cultus amoris.

Exc.mus secundus Consultor: Omittatur verbum *finis*; dicatur «*Matrimonium natura sua ad mutuum adiutorium et ad procreationem ac educationem prolis ordinatur*»; in libro Genesis primum dicitur: «*Non est bonum homini esse solum*», et post: «*Crescite et multiplicamini*»; vir et mulier se invicem complent; primarie tendunt ad mutuum adiutorium; in hoc continetur remedium concupiscentiae, quod expresse adiungi non debet.

Rev.mus quintus Consultor: Verba ab Exc.mo secondo Consultore proposita ordinem quidem exprimunt logicum et psychologicum, non autem relationem inter adiutorium et procreationem; exclusio prolis irritat matrimonium; an irritat etiam exclusio mutui adiutorii?; responsum dari nequit antequam data sit declaratio pontifícia.

Rev.mus sextus Consultor: Unde quaestio differatur usquedum conclusiones Commissionis Pontificiae de Familia communicatae fuerint.

Rev.mus septimus Consultor: Sententiae Rev.mi sexti Consultoris annuit.

Rev.mus Relator: Si canon omnino conservandus videtur, differatur quaestio; videtur tamen non esse conservandus, quia canonistis interest quid sit matrimonium, non tamen, saltem non directe, quinam eiusdem sint fines.

Exc.mus secundus Consultor: Differatur quaestio.

Rev.mus Secretarius: Potestne, post Concilium, adhuc fieri distinctio inter finem primarium et fines secundarios? Codex illam distinctionem facit, quia exclusio finis primarii irritat contractum, exclusio autem finium secundariorum non irritat.

Rev.mus quartus Consultor: Ford et Kelly dicunt exclusionem mutui adiutorii irritare matrimonium.

Rev.mus Secretarius: Excluso fine primario alicuius instituti; excluditur institutum ipsum; exclusis autem finibus secundariis, ipsum institutum non excluditur; est quaestio celebris quam antiqui posuerunt de matrimonio Mariae et Josephi.

Rev.mus quartus Consultor: In illo matrimonio nulla habebatur exclusio vel restrictio.

Rev.mus Secretarius: Forma saltem canonis 1013 mutari debet, quia non concordat constitutioni *Gaudium et spes*, in qua fines non ita subordinantur.

Rev.mus Relator: Petamus sententias aliquorum theologorum huius rei peculiariter peritorum.

Rev.mus quintus Consultor: Distinctio inter fines primarios et secundarios omitti non potest; dubium est utrum in canone bene definiatur; hoc dubium a nobis solvendum non est; unio personalis aliquo modo pertinet ad finem primarium, non tamen liquet quaenam sit relatio inter unionem et procreationem; dici tamen debet quaenam ad finem primarium pertinent, cum exclusio solius finis primarii irritet matrimonium.

Rev.mus quartus Consultor: «Secundarius» in lingua anglica male sonat; significat aliquid minoris momenti.

Rev.mus Secretarius: Finis secundarius sub quoniam respectu dicitur? Ratione subordinationis an alia quadam ratione? In constitutione *Gaudium et spes*, nn. 48 et 50, matrimonium et amor coniugalis semper coiunguntur; dicitur: institutum matrimonii et amor coniugalis ordinantur ad procreationem prolis; inde amor coniugalis matrimonii intrinsecus esse videtur.

Adunatio III
die 25 octobris 1966

Can. 1013

Exc.mus primus Consultor: Consentimus canonem mutari debere; tex-tus definitivus redigi nequit antequam Summus Pontifex declarationem ediderit; conemur singuli textum aliquem redigere postea in coetu discu-tendum; nunc ad alios transeamus canones.

Exc.mus tertius Consultor: Sententiae Exc.mi primi Consultoris adhaeret.

Exc.mus secundus Consultor: Sanctus Pater utitur mediis, inter quae sunt periti; nos quoque aliquid facere debemus; canonistae hucusque aspectum tantum biologicum matrimonii consideraverunt, qui nunc complendus est aspectu psychologico et personali; in relatione habetur quae-dam adumbratio novi canonis.

Rev.mi quartus et quintus Consultores aliique adhaerent sententiae Exc.mi primi Consultoris.

Rev.mus Secretarius: In Encyclica *Casti connubii* legitur: «Haec mutua coniugum interior conformatio, hoc assiduum sese invicem perficiendi studium, verissima quadam ratione, ut *docet Catechismus Romanus* (P. II, Cap. VIII, Q. XIII), etiam primaria matrimonii causa et ratio dici potest, si tamen matrimonium non pressius ut institutum ad prolem rite pro-creandam educandamque, sed latius ut totius vitae communio, consuetu-do, societas accipiatur»; haec verba, si coniungantur cum verbis constitu-tionis *Gaudium et spes*, in qua talis societas dicitur indole sua naturali ad procreationem et educationem prolis ordinari ac his veluti suo fastigio cor-onari, forte ad novum canonem de finibus matrimonii redigendum con-ducere possunt, in quo tamen de finibus eorumque subordinatione ex-plicitus iam non fit sermo; auctor modernus, Rev. P. Adnes, *Le mariage*, p. 118, distinguit aspectum obiectivum seu ontologicum, in quo finis prima-rius est procreatio, et aspectum personalem seu psychologicum, in quo praevalet finis mutui adiutorii, finis proximus operantium dici potest mu-tuum adiutorium, finis remotus operantium dici potest procreatio.

Rev.mus quintus Consultor: An consentimus ut verbum «*finis*» tolla-tur? Manet tamen quod matrimonium est nullum negato fine primario tantum, non negato fine secundario.

Rev.mus Secretarius: Concedo, sed res clara non est; dependet ab ulte-riore elaboratione theologica; amor coniugalis in canone ponendus est ut elementum essentiale matrimonii.

Rev.mus quintus Consultor: Finis principalis seu primarius est totius vitae consuetudo et procreatio ac educatio.

Rev.mus Secretarius: Dicatur potius «*principalis*»; verbum tamen «*finis*» forte non in Codice ponendum est.

Rev.mus Relator: In dijudicanda validitate matrimonii iudices considerare debent an partes de essentia seu de substantia matrimonii (christiani) convenerint necne, non an convenerint de finibus; hoc indirecte tantum, quod nempe ad probationem attinet, ad illud spectat; doctrina est thomistica, non finem in se, sed finem in suis principiis, id est in relatione mutua coniugum, de essentia esse matrimonii; canon de finibus non est canonicus.

Exc.mus primus Consultor: Constitutio *Gaudium et spes* clara non est; placent quae dixit Rev.mus Secretarius adhibendis quoque verbis Encycliae *Casti connubii*.

Rev.mus Secretarius: Rev.mus Relator nimis seiungit effectum a causa; haec aliquo modo in ipsum institutum ingredi debet.

Paremus singuli novum can.1013, § 1; ne nimis festinemur; post aliquot dies varios textus considerabimus; deinde § 2 canonis videbimus.

Omnibus placet.

Can. 1014

Rev.mus Secretarius: Rev.mus Relator proposuit canonem ad alium locum transferre, afferendo can.1069, § 2; forte tamen non convenit.

Exc.mus primus Consultor: Can.1014 affertur in Capp. IV et V *De matrimonio*, ergo maneat inter canones praeliminares; de ratione in voto meo addita «*Cum vinculum sacrum matrimonii intuitu boni tum coniugum et prolis, tum societatis, non ex humano arbitrio pendeat*», cf. *Gaudium et spes* n.48; additio certo non nocet.

Exc.mus tertius Consultor: Verba «*non ex humano arbitrio pendeat*» non placent: consensus enim est causa matrimonii; admitto autem rationem boni coniugum et prolis necnon societatis.

Exc.mus secundus Consultor: Verba addita non dant rationem favoris; praeterea sic denuo ingrediamur in definitionem ipsius matrimonii.

Rev.mus quartus Consultor: Ratio addita plures novas suscitat quaestiones.

Rev.mus quintus Consultor: Norma direttiva omnis codificationis esse debet ut textus breves sint et rationes omittantur.

Rev.mus sextus Consultor: Ratio legis non est lex, ergo omittatur; remaneat textus integer Codicis.

Rev.mus septimus Consultor adhaeret sententiae Rev.mi sexti Consultoris.

Rev.mus Relator: Quod vinculum matrimonii non ex humano arbitrio pendere debeat, est ratio cur a Deo legibus instructum sit, ut dicitur in constitutione; non tamen est ratio cur homines introducant praesumptionem validitatis; in traditione canonistica numquam talis ratio favoris afferatur; praecipua ratio quam antiqui afferunt est certitudo seu stabilitas status matrimonialis.

Exc.mus primus Consultor: Favor matrimonii non est iuris mere humani.

Rev.mus Secretarius: Exponit quaestionem utrum matrimonium dubie inconsummatum a Papa dissolvi possit necne.

Rev.mus quintus Consultor: Quaestio de favore iuris retinendo heri iam soluta est; nunc quaeritur utrum ratio supradicta addenda sit necne; censeo addendam non esse.

Exc.mus primus Consultor: Omissionem rationis moleste non feram.

Rev.mus Secretarius: *Placetne retinere verba «Matrimonium gaudet favore iuris», ceteris omissis?*

Rev.mus sextus Consultor: In iuribus civilibus saepe habetur favor matrimonii quin inde sequatur praesumptio validitatis; unde haec retinenda est.

Exc.mus primus Consultor: Praesumptio validitatis est unus effectus favoris inter plures alios; unde retinenda est.

Exc.mus secundus Consultor: Sufficit exprimere favorem iuris; mentio explicita praesumptionis validitatis omittatur; propter eam multi iudices fere numquam sententiam ferre audent «constare de nullitate».

Petuntur suffragia: *Placetne retinere verba «quare in dubio standum est pro valore matrimonii donec contrarium probetur»?*

Maiori parti *placet*.

Exc.mus tertius Consultor: Si haec verba omittantur; postea dubia surgent cur omissa fuerint.

Rev.mus Secretarius: *Placetne omittere verba «salvo praescripto can. 1127»?*

Exc.mus primus Consultor: Non placet canonem priorem remittere ad canonem posteriorem, unde in can.1127 remittatur ad can.1014, non vice versa.

Exc.mus tertius Consultor: Adhaeret sententiae Exc.mi primi Consultoris.

Rev.mus quintus Consultor: Can.1127 applicatur etiam in re non dubia; quare in illo remitteretur ad can.1014?

Rev.mus Relator: Verba « *salvo praescripto can. 1127* » in can.1014 non tantum sunt superflua, sed erronea; duo canones de diversis omnino rebus agunt: can.1014 est vera *praesumptio*; can 1127 e contra non est vera *praesumptio*, sed *statuit* prius matrimonium legitime solvi in favorem fidei, etiam si applicatio eiusdem vel procedura dubia sit.

Petuntur suffragia: *Placetne retinere verba can.1014 « salvo praescripto can. 1127 »?*

5 placet, 3 non placet; ergo coetui *placuit*.

Can. 1015

Rev.mus Relator exponit vota et relationem.

Exc.mus primus Consultor: Ea tantum corrigantur quae in Codice notabilem faciunt difficultatem; quod facit tantum verbum « *legitimum* »; « *ratum* » est verbum traditione et usu probatum; « *matrimonium christianum* » in lingua germanica dicit matrimonium in quo coniuges mores christianos observant.

Exc.mus tertius Consultor: Placent addere matrimonium « *mixtum* » et « *dispar* », ita ut quattuor sint species: legitimum duorum non baptizatorum, dispar, mixtum, et duorum catholicorum; dicatur matrimonium « *validum* » dici ratum, legitimum etc., secus verbum « *validum* » semper addi debet.

Exc.mus secundus Consultor: Terminologia Codicis sibi constans non est; in iure Orientali habetur titulus « *De verborum significatione* »; forte tamen opportunum non est omnia verba, quibus determinata assignetur significatio, in uno simul titulo ponere.

Rev.mus sextus Consultor: Verbum matrimonium *naturale* offendit aribus civilistarum aliorumque; « *legitimum* » iam in Codice et in doctrina significat validum et de omnibus matrimoniis dicitur; legimi dicuntur filii ex omni matrimonio valido; filii naturales sunt filii illegitimi, non autem nati ex matrimonio « *naturali* »; non placent verba « *sacramentale* » et « *naturale* » matrimonio adhibita: conservetur usus canonistarum et civilistarum.

Rev.mus septimus Consultor: Si omnia verba nunc usitata sunt retinenda, scopus recognitionis Codicis non obtinebitur.

Rev.mus quartus Consultor: Placet sententia Exc.mi primi Consultoris; « *ratum* » dicatur omne matrimonium duorum baptizatorum, quod esse potest ratum tantum aut ratum et consummatum, ut habetur in voto meo; forte omnino omitti potest « *legitimum* », vel eius loco dicatur « *validum* ».

Rev.mus quintus Consultor: « *Ratum* » per se idem dicit ac validum seu legitimum, et est superfluum; « *legitimum* » de omni matrimonio valido dicitur.

Exc.mus primus Consultor: Retineantur verba usu probata, corrigatur tantum terminologia Codicis.

Rev.mus quintus Consultor: Assignentur verba propria matrimonio valido, mixto, dispari, consummato et non consummato.

Rev.mus sextus Consultor: Consummatio pro matrimoniis duorum tantum baptizatorum momentum habet.

Petuntur suffragia: *Placetne matrimonium duorum baptizatorum dici « ratum »?*

7 placet, 1 non placet; ergo coetui *placuit*.

Rev.mus Secretarius: Placetne introducere verbum matrimonium mixtum?

Exc.mus primus Consultor: Hucusque impedimentum dicitur mixtae religionis.

Rev.mus Secretarius: Difficultatem facit quod matrimonia mixta comprehendunt etiam matrimonia disparia; in *Instructione S. Congregationis* pro Doctrina Fidei duo impedimenta separatim considerantur; quidam tamen censent ea omnino aequiparanda esse.

Exc.mus primus Consultor: Rationes oecumenicae exigunt ut duo impedimenta distinguantur; iam in Codice aequiparantur, ut in can. 1071.

Rev.mus Secretarius: Verum est; at verbum matrimonium *dispar* non adhibetur.

Exc.mus tertius Consultor: Auctores antiqui distinctionem faciebant.

Exc.mus primus Consultor: Quidnam significat vocabulum « *dispar* »?

Rev.mus sextus Consultor: In hoc canone matrimonium distinguitur in varias species quatenus est matrimonium, non quatenus contrahentes ad diversas pertineant religiones.

Rev.mus quintus Consultor: Si matrimonium duorum baptizatorum dicitur ratum, oportet etiam nomen dare aliis matrimoniis.

Rev.mus sextus Consultor: Omnia matrimonia valida dicantur legitima, matrimonia autem duorum baptizatorum rata; est satis logicum.

Rev.mus quintus Consultor: Sic quaestio remittitur, non solvitur.

Rev.mus Secretarius: In Codice habentur normae de loco et ritu matrimoniorum mixtorum; *Instructio laudata* easdem dat normas pro matrimonio cum parte non catholica baptizata et non baptizata contrahendo; hoc oecumenistis displicet.

Rev.mus quartus Consultor: Nova verba « *mixtum* » et « *dispar* » non videntur utilia; deberet insuper mentio fieri dispensationis obtentae in definiendo matrimonio dispari.

Petuntur suffragia: *Placetne in can. 1015 addere matrimonium « mixtum » et matrimonium « dispar »?*

Maiori coetus parti *non placet*.

Rev.mus Secretarius: Placetne verbo « *legitimum* » substituere verbum « *naturale* »? « *Legitimum* » plures in Codice omne matrimonium validum significat; ius Orientale terminologiam correxit, tamen retinuit verbum « *legitimum* », etsi id non posuit in titulo *De verborum significatione*; unde ex iure Orientali nihil contra hoc verbum obiici potest.

Rev.mus quintus Consultor: « *Legitimum* » in Codice est verbum infelix; per se dicit validum coram legibus; neque placet « *naturale* »; dicatur « *matrimonium inter non baptizatos* ».

Rev.mus Secretarius: Placetne omnino omittere can.1015, § 3? Nullum inde damnum timendum videtur.

Exc.mus tertius Consultor: Etiam logicum videtur, cum omittantur quoque « *mixtum* » et « *dispar* ».

Rev.mus quartus Consultor: « *Legitimum* » unam in Codice habere debet significationem.

Rev.mus Secretarius: Filii legitimi adaequate opponuntur filiis illegitimis; matrimonium legitimum, iuxta can.1015, § 3, inadaequate opponitur matrimonio illegitimo; quod est inconveniens.

Rev.mus quartus Consultor: In iure antiquo haec distinctio adhibebatur.

Rev.mus Secretarius: Si nulla ratio verbum retinendi videatur, melius est ut omittatur.

Rev.mus sextus Consultor: Sustineatur « *legitimum* », at significet validum; inde § 3 abrogetur.

Rev.mus Secretarius: Ita evitatur quoque infelix vocabulum « *naturale* »; si non videmus necessitatem ponendi « *legitimum* » in hoc canone, § 3 omitti potest.

Rev.mus septimus Consultor: Debet haberi vocabulum ad matrimonium non baptizatorum significandum.

Rev.mus quartus Consultor: In solo can.1120, § 1 matrimonium non baptizatorum dicitur legitimum, et ibi significat validum.

Rev.mus septimus Consultor: In missionibus vocabulum « *legitimum* » continuo occurrit ad significandum matrimonium non baptizatorum.

Rev.mus Secretarius: Fortasse sub influxu Codicis, potius usu invaluit, non ex necessitate ipsius vocabuli; si necessitas non adest, § 3 abrogari potest, si ita videtur.

Exc.mus primus Consultor: Aliud vocabulum pro matrimonio non baptizatorum utile videtur.

Rev.mus quintus Consultor: In ipso Codice non requiritur.

Rev.mus sextus Consultor: Nunc autem novum Codicem conficimus.

Petuntur suffragia: *Placetne retinere verbum «legitimum»?*

Maiori parti coetus *non placet*.

Petuntur suffragia: *Placetne retinere § 3 quoad substantiam?*

3 placet, 4 non placet, 1 placet sub modo, supposita scilicet omissione verborum «mixtum» et «dispar».

Can. 1015, § 4

Rev.mus Relator exponit vota et relationem.

Rev.mus Secretarius: Ius Orientale habet: «*Matrimonium dicitur putatum, si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit coram Ecclesia, donec utraque pars*» etc.; legit ex Sartori explicationem responsi Commissionis Codicis de hac §.

Rev.mus septimus Consultor: In nostra regione ob penuriam sacerdotum celebabantur saepe iuxta mores regionis; existimabantur valida; talia quoque, etsi coram Ecclesia non celebrata, putativa dici debent.

Rev.mus Secretarius: Auctor responsi fuit Secretarius S. Congregacionis de Religiosis, nunc Cardinalis Larraona scripsit de hac re in ephe-meridibus *Monitor Ecclesiasticus*; in nonnullis religionibus legitimitas, vi constitutionum, est conditio validae admissionis ad novitiatum; dubium fuit, utrum nati ex matrimonio, invalido ob omissam formam canoniam, at bona fide finito, dici possent nati ex matrimonio putativo; ex responso sequitur tales ad novitiatum illarum religionum admitti non posse sine dispensatione.

Exc.mus primus Consultor: Restrictio ad matrimonia coram Ecclesia celebrata valde arbitraria videtur.

Rev.mus Secretarius: In formula iuris Orientalis bona fides ad celebrationem coram Ecclesia referre videtur.

Exc.mus primus Consultor: Abrogata § 3, canon de solis matrimoniis baptizatorum agit; unde matrimonium putatum ad illa tantum referre videretur.

Rev.mus sextus Consultor: Idcirco proposui ut matrimonium quodvis validum legitimum dicatur.

Rev.mus quintus Consultor: Matrimonium potest esse putativum etiam si non coram Ecclesia celebratum est; bona fides respicit modum contrahendi.

Exc.mus primus Consultor: Dicatur: matrimonium «*quodvis*» invalidum etc.

Rev.mus Relator: Proinde canon sonat: *Matrimonium quodvis invalidum, ab una saltem parte in bona fide contractum, dicitur putativum, donec utraque pars etc.*

Omnibus placet.

Can. 1016

Rev.mus Relator exponit relationem, quatenus respicit rationem competentiam Ecclesiae inter et competentiam auctoritatis civilis, iuxta doctrinam S.Thomae, scilicet: in quantum matrimonium ordinatur ad bonum politicum, subiacet ordinationi civilis legis; in quantum ordinatur ad bonum Ecclesiae, oportet quod subiaceat regimini ecclesiastico (*Contra Gentiles* IV, 78).

Exc.mus primus Consultor: Argumenta allata sententiam Relatoris non probant; verum est Ecclesiam in primis saeculis intactos reliquise mores populorum quoad modum contrahendi matrimonia, quoad impedimenta aliaque huiusmodi; non tamen sibi denegabat iurisdictionem in his quoque rebus, ut patet ex sententia Callixti Papae, qui, contra ius Romanum, valida declaravit matrimonia mulierum nobilium cum servis finita; praeterea, quod praecipuum est, si Ecclesia tantum est competens quoad praecepta evangelica de matrimonio, quo iure tunc quoad alia, ex solis circumstantiis socialibus, subsidiariam sibi competentiam vindicare potest? Quod attinet ad documenta pontificia, non habetur illa paritas, quam relatio sustinet, inter quaestionem de libertate religiosa et quaestionem de competentia auctoritatis civilis in matrimonium.

Exc.mus secundus Consultor: Inde a tempore Reformationis Ecclesia debuit totam rem matrimoniale sibi reservare; in Concilio Tridentino clarius definita est doctrina de sacramento matrimonii, et iam quaedam principia de potestate legislativa et iudicaria Ecclesiae in hac re statuta sunt.

Rev.mus sextus Consultor: Aliud est Ecclesiam adoptare leges civiles, aliud Ecclesiam sibi competentiam exclusivam non vindicare; denegare Ecclesiae propriam competentiam praeter illam, quae respiciat praecepta Sa-

crae Scripturae, omnino inauditum est; proposita relationis omnino inopportuna sunt.

Rev.mus quintus Consultor: Documenta ecclesiastica omnino clara sunt, uti etiam canon Codicis.

Rev.mus Secretarius: Sunt verba Concilii Tridentini; praeligit affirmationem competentiae exclusivae Ecclesiae ex Encyclica *Arcanum* Leonis XIII.

Rev.mus quintus Consultor: Declarationes ita clarae et distinctae in dubium vocari nequeunt; Relator duas sententias contradictorias proposit: aliam, non esse Ecclesiae impedimenta matrimonialia statuere; aliam, esse Conferentiarum Episcoporum iudicare de legibus civilibus circa impedimenta.

Rev.mus septimus Consultor: Confirmat argumenta in coetu prolata.

Exc.mus tertius Consultor: Magisterium Ecclesiae maioris est ponderis quam historia.

* * *

Rev.mus Relator exponit relationem, quatenus agit de iurisdictione Ecclesiae in matrimonia baptizatorum non catholicorum.

Rev.mus Secretarius: Est quaestio magis generalis, de qua agit canon 12; ne praeludicemus sententiae coetus, qui hunc canonem recognoscere debet.

Rev.mus Relator: Etiam praeludicamus sententiae de can. 12, si relinquamus canonem 1016 uti iacet.

* * *

Exc.mus primus Consultor: Propositum fuit ut comma de competentia auctoritatis civilis circa effectus mere civiles in § distincta ponatur; at tunc videbitur lex lata ab Ecclesia, quod non placet.

Rev.mus Secretarius: Verba illius commatis «*salva ... effectus*» per se omitti possunt.

Exc.mus tertius Consultor: Verba illa necessaria sunt, ne Ecclesia omnem competentiam sibi vindicare videatur.

Adunatio IV
die 26 octobris 1966, hor. 9 – 12.30

Can. 1016

Rev.mus Secretarius: Ut heri iam diximus, nunc agendum est de votis Exc.morum primi et teriti Consultorum.

Exc.mus primus Consultor: In voto meo proponitur nova introductio pastoralis canonis, quae sit § 1; textus Codicis maneat ut § 2; in hisce canonibus generalibus introductoryis semper conatus sum canones rationibus pastoralibus aliquo modo ampliare, ad mentem Patrum Concilii, ne ius nostrum videatur fere atheologicum.

Exc.mus tertius Consultor: Volui in voto meo ut magis elucescat fundamentum potestatis Ecclesiae; omisi quoque verbum «*mere*» (civiles), ne nimis arctetur auctoritas civilis.

Rev.mus Secretarius: Exponit doctrinam de effectibus mere civilibus.

Exc.mus tertius Consultor: Ut supra ad can. 1014 iam diximus, rationes ne addantur canonibus, ergo non placet nova § 1 ab Exc.mo primo Consultore proposita.

Exc.mus secundus Consultor: Adhaeret sententiae Exc.mi tertii Consultoris.

Exc.mus primus Consultor: Ne omittantur omnes rationes theologicae et pastorales; nec Codex eas omittit, verbi gratia in can. 2214, § 1.

Rev.mus quartus Consultor: Anceps haereo de rationibus addendis; in genere potius contrarius sum; in hoc tamen casu placet; forte autem melius est ut pastoralia in aliquo alio canone praeliminari ponantur.

Rev.mus sextus Consultor: Rationes pastorales dentur in initio capit is, non in canonibus dispositivis; *cura*, de qua sermo est in utroque voto, matrimoniorum etiam baptizatorum non tantum Ecclesiae, sed auctoritati quoque civili incumbit, praesertim quod ad familias attinet; Ecclesia indiget auxilio Status; si cura matrimoniorum baptizatorum soli Ecclesiae adscribitur, timendum est ne auctoritates civiles curam familiarum baptizatorum totam Ecclesiae relinquant.

Rev.mus quintus Consultor: Rationes pastorales dentur in initio capit is, in canone praeliminari; rationes autem in votis propositae periculosae sunt: ansam dant interpretationi canonis ad mentem sententiae heri a Relatore propositae, quam tamen omnes reicimus.

Exc.mus primus Consultor: Rationes huius canonis in hoc ipso canone exprimendae sunt.

Rev.mus Secretarius: Omnes canones introductoryi 1012–1016 habent

momentum et stilum pastoralem; iam canon 1012; item can. 1014 de favore matrimonii ad praxim spectat pastoralem; inde non videtur cur in canone 1016 rationes pastorales exprimendae sint.

Exc.mus primus Consultor: Can.1016 habet sensum et stilum mere iuridicum.

Rev.mus Secretarius: Rationes ab Exc.mo primo Consultore propositae sine dubio sensum et scopum habent eminenter pastoralem; nescio utrum conveniat necne in initio capitis quaedam mere pastoralia inserere.

Rev.mus sextus Consultor: Codex a canonistis et iuris civilis peritis vituperatur quod est nimis pastoralis, ab Episcopis quod est nimis iuridicus.

Rev.mus Secretarius: Nescio utrum in hoc canone, qui agit de rationibus Ecclesiam inter et Statum, aliquid addendum sit necne de fundamento auctoritatis Ecclesiae; quaedam proponere possumus, postea videbit et iudicabit ipsa Commissio; quaestio potius est de opportunitate quam de substantia rationum.

Exc.mus primus Consultor: Mihi placet ut rationes exprimantur; tamen duae redactiones a coetu proponi possunt, alia cum, alia sine rationibus.

Exc.mus tertius Consultor: Tunc etiam in canone 1014 rationes exprimi debuissent.

Rev.mus Secretarius: Ibi quaestio fuit utrum rationes additae rectae fuerint necne; ibi dubium fuit de natura favoris iuris, utrum scilicet sit iuris mere humani necne.

Exc.mus primus Consultor: Non convenit alio loco addere rationes, alio loco non addere.

Exc.mus secundus Consultor: Si in canone 1016 dentur rationes iurisdictionis Ecclesiae, dari quoque debent rationes iurisdictionis auctoritatis civilis.

Exc.mus primus Consultor: In voto meo dantur rationes iurisdictionis civilis auctoritatis, ubi dicitur «*utpote ... fundamentum*».

Petuntur suffragia: *Placetne § 1, ad mentem § ab Exc.mo primo Consultore propositae, in canone 1016 pon?*

5 placet, 3 non placet; ergo coetui placuit.

Exc.mus tertius Consultor: Ordo commatum inverti debet; prius dicatur de iurisdictione Ecclesiae, deinde de iurisdictione civili; prius ergo dicatur «*cum matrimonium ... commissae sunt*», deinde «*utpote ... spectat*»; ad datur quoque «*regitur iure non solum divino*».

Exc.mus secundus Consultor: Post «*civilem societatem*» addatur «*praesertim circa matrimonia non baptizatorum*».

Rev.mus Secretarius: Leo XIII in Encyclica *Arcanum* habet: *totam ipsorum (matrimoniorum baptizatorum) disciplinam Christus Dominus Ecclesiae commisit; quid est cura, quid disciplina?*

Exc.mus primus Consultor: Textus voti mei desumptus est ex voto De Matrimonio Patribus Concilii oblato et ab ipsis, cum aliquo voto generali, Papae transmisso, utique cum intentione ut aliquo modo adhiberetur, non ut seponeretur.

Rev.mus quartus Consultor: Schema *De matrimonii Sacramento* fuit pastorale, non iuridicum.

Rev.mus Secretarius: Cura est pars disciplinae, aliquid disciplinae addit; multum actum est de hac re in nostra Commissione de matrimoniis mixtis, quae curam peculiarem exigunt.

Rev.mus quartus Consultor: Verba in voto Exc.mi primi Consultoris proposita occurrunt in § 1 schematis, quae agit de dignitate sacramenti, non in § 2, quae agit de disciplina.

Exc.mus tertius Consultor: Cura addit aliquid disciplinae seu legislationi.

Rev.mus Secretarius: Encyclica Leonis XIII omnem potestatem civilem excludere voluit; scopus ille differt a scopo nostro; paululum latius exponit mutationes supra ab Exc.mo tertio Consultore propositas.

Exc.mus secundus Consultor: Placet inversio ordinis commatum ab Exc.mo tertio Consultore proposita.

Exc.mus primus Consultor: Intentio § a me propositae est, ut introducat in § 2, quae de competentia Ecclesiae agit; proinde comma de hac competentia immediate praecedere debet § 2, secus deest nexus utriusque §.

Exc.mus tertius Consultor: Tunc tolli debet verbum «*quoque*» in primo commate § 1.

Rev.mus sextus Consultor: Dicatur «*Ecclesiam et civilem societatem spectat*».

Rev.mus Secretarius: Verbum «*quoque*» supponit enuntiationem precedentem.

Exc.mus primus Consultor: Aut enuntiationem statim sequentem.

Rev.mus Secretarius: Canon 1016 primum agit de competentia ecclesiae, deinde de competentia auctoritatis civilis, inde a verbis «*salva competencia*»; huic alteri commati dari potest autonomia quaedam; nunc videtur mere accessoriū; sic fit etiam in voto Exc.mi primi Consultoris .

Rev.mus septimus Consultor: Dicatur «*civilem quidem societatem spectat*».

Rev.mus Secretarius: Non placet; est expressio nimis fortis; agitur de iuribus originariis Status; paululum latius exponit originem competentiae tum Ecclesiae tum Status.

Rev.mus sextus Consultor: Dicatur «*praeterquam Ecclesiam, civilem quoque*» etc.

Exc.mus primus Consultor: Non est verum; matrimonium naturale nullo modo spectat ad Ecclesiam.

Rev.mus Secretarius: In textu proposito datur ratio auctoritatis civilis in omne matrimonium, excepto matrimonio baptizatorum.

Rev.mus sextus Consultor: Tollatur «*quoque*».

Petuntur suffragia: *Placetne inversio commatura can. 1016?*

2 placet, 2 abstinet, 4 non placet; ergo coetui *non placuit*.

Rev.mus Secretarius: Estne aliquid emendandum in verbis «*matrimonium spectat*»?

Exc.mus tertius Consultor: Agiture de matrimonio omnium, an tantum non baptizatorum?

Exc.mus primus Consultor: Omnia.

Exc.mus tertius Consultor: Num omne matrimonium aequaliter spectat ad societatem civilem?

Exc.mus secundus Consultor: Etiam matrimonium naturale spectat ad Ecclesiam: iuxta doctrinam Leonis XIII sacrum est; praeterea Ecclesia authentice interpretatur ius naturale et divinum.

Rev.mus Secretarius: Explicat differentiam inter sacrum et sacramentum; Ecclesia habet aliquam potestatem circa sacra; omne quod aliquo modo sacrum est, in hac oeconomia salutis ad Ecclesiam spectat.

Rev.mus quartus Consultor: Primum comma de potestate civili omittatur; canon de sola competentia Ecclesiae directe agit; proinde retineatur alterum tantum comma de competentia Ecclesiae.

Rev.mus quintus Consultor: Valde periculosa sunt verba «*quod praesertim attinet*»: ansam dant errori Ecclesiam sub hoc tantum aspectu habere competentiam; verbum «*praesertim*» minuit, non tollit periculum; verbum «*cura*» omittatur.

Rev.mus sextus Consultor: Ne omittatur.

Rev.mus Relator: In textu proposito nulla datur ratio iurisdictionis Ecclesiae in matrimonia dispergia.

Exc.mus primus Consultor: Datur ratio praecipua iurisdictionis Ecclesiae, scilicet quod matrimonium est sacramentum; inde tamen eius iurisdictio non ad sola matrimonia rata restringitur.

Rev.mus Secretarius: Matrimonium dispar converti potest in matrimonium sacramentum; inde Ecclesiae in illud iurisdictio.

Rev.mus Relator: Etiam matrimonium naturale converti potest in matrimonium sacramentum.

Rev.mus Secretarius: Matrimonium dispar est in potentia proxima ut sacramentum fiat, matrimonium naturale in potentia remota tantum.

Petuntur suffragia: *Placetne verbum « quoque » (civilem quoque societatem spectat)?*

6 placet, 1 non placet, 1 abstinet; ergo coetui *placuit*.

Petuntur suffragia: *Placetne primum comma, scilicet: « Matrimonium, utpote humanae consortio principium et fundamentum, civilem quoque societatem spectat »?*

6 placet, 1 non placet, 1 abstinet; ergo coetui *placuit*.

Rev.mus Secretarius: Estne aliquid dicendum adhuc de altero commate, scilicet « *sed cum matrimonium inter christianos initum adnumeretur inter Novae Legis sacramenta, disciplina eius et cura, praesertim quod ad integratem sanctitatem attinet, a Christo Ecclesiae commissae sunt.* ».

Rev.mus quintus Consultor: Verba « *quod praesertim attinet* » non placent.

Exc.mus secundus Consultor et Rev.mus quartus Consultor sententiae Rev.mi quinti Consultoris adhaerent.

Petuntur suffragia: *Placetne verba « quod praesertim ... attinet »?*

3 placet, 3 non placet, 2 abstinent, Rev.mo Secretario non placet; ergo coetui verba illa *non placuerunt*.

Rev.mus Secretarius: Canon 1016, ut nunc iacet in Codice, estne ut § 2 retinendus?

Exc.mus tertius Consultor: Praemittatur tunc verbum « *Quare* »?

Exc.mus secundus Consultor: Vel « *Itaque* »; verba « *salva ... effectus* » mutentur.

Rev.mus sextus Consultor: De competentia auctoritatis civilis potius in distincta § 3 agatur.

Rev.mus quintus Consultor: Praemittere « *Quare* » vel « *Itaque* » est valde periculosum: in § 1 non datur ratio totius iurisdictionis Ecclesiae; inde periculum est ne § 2 a canonistis restringatur ad ambitum § 1; porro loco « *Baptizatorum matrimonium* » dicatur « *Baptizati matrimonium* », ut comprehendatur matrimonium dispar; textus in duas §§ dividatur, altera de competentia Ecclesiae, altera de competentia Status.

Rev.mus septimus Consultor: Duea fiant §§.

Rev.mus Secretarius: Placetne praemittere « *Quare* »?

Exc.mus primus Consultor: Nullum inde periculum timeo, sed necessarium non est.

Exc.mus tertius Consultor: Si manet « *Baptizatorum* », praemittatur « *Quare* »; si mutatur in « *Baptizati* », ne praemittatur.

Rev.mus Secretarius: Discrimen inter « *baptizatorum* » et « *baptizati* » est clarum: si dicitur « *matrimonium baptizati* », comprehenditur etiam matrimonium dispar.

Exc.mus secundus Consultor: Loco « *baptizatorum* » dicatur « *christianorum* », ut in § 1; ceterum « *baptizatorum matrimonium* » apud canonistas semper comprehendit matrimonium dispar.

Rev.mus Secretarius: In can. 1012, § 1 dicitur « *inter baptizatos* », ne fiant difficultates de casu particulari, matrimonii scilicet disparis.

Rev.mi septimus et quartus Consultores: Non placet praemittere « *Quare* ».

Rev.mus quintus Consultor: Addita § 1, sensus textus can. 1016 omnino mutatus est; sine dubio hucusque « *baptizatorum matrimonium* » comprehendebat matrimonium dispar; nunc autem § 1 solum « *matrimonium christianorum* » sacramentale spectat; inde, si § 2 incipit particula « *Quare* », et ipsa nequit spectare nisi matrimonium sacramentale; ergo tunc « *baptizatorum matrimonium* » nonnisi matrimonium duorum baptizatorum significare potest.

Petuntur suffragia: *Placetne § 2 praemittere « Quare »?*

Coetui *non placet*.

Petuntur suffragia: *Placetne loco « Baptizatorum » ponere « Baptizati »?*

Coetui *non placet*.

Rev.mus Secretarius: Verba « *Baptizatorum matrimonium* » suntne alio modo mutanda?

Rev.mus quintus Consultor: Necessarium est.

Exc.mus primus Consultor: Non est necessarium; ex aliis canonibus, ubi indubie patet matrimonium dispar subesse iurisdictioni Ecclesiae, sequitur « *Baptizatorum matrimonium* » necessario ita esse intelligendum, ut comprehendat matrimonium dispar.

Rev.mus Secretarius: Canon 1012 habet « *matrimonium inter baptizatos* »; loco « *inter christianos* » in nova § 1 can. 1016 ponri potest « *inter baptizatos* »; nullum tamen est discrimin.

Exc.mus secundus Consultor: Dicatur « *Matrimonium eorum quorum saltem unus est baptizatus* ».

Rev.mus Secretarius: Talis explicatio non est necessaria; iam continetur verbis «*Baptizatorum matrimonium*».

Petuntur suffragia: *Placetne in nova § 1 loco «christianos» ponere «baptizatos»?*

Omnibus placet.

Rev.mus Secretarius: Verba «*Baptizatorum matrimonium*» suntne mutanda?

Rev.mus quintus Consultor: Ita, ut Exc.mus secundus Consultor proposuit.

Petuntur suffragia: *Placetne loco «Baptizatorum matrimonium» ponere «Matrimonium eorum, quorum saltem unus est baptizatus»?*

4 placet, 4 non placet, Rev.mo Secretario non placet; ergo coetui *non placuit*.

Adhuc alia verba proponuntur: «*Baptizatorum matrimonium quamvis 'dispar'*»; vel «*Baptizatorum matrimonia*».

Rev.mus Secretarius: Auctores numquam dubitaverunt verba «*baptizatorum matrimonium*» comprehendere matrimonium dispar.

Rev.mus quintus Consultor: Tamen ex solis verbis non claret, idque vel minus postquam praemisimus § 1.

Rev.mus Secretarius: quaestio de indole sacramentali matrimonii disparis est theologica et disputata; a nobis solvenda non est; explicat cur iurisdictio Ecclesiae in matrimonium dispar sit certa;

Petuntur suffragia: *Placetne ut suffragatio de dubio, an verba «Baptizatorum matrimonium» manere debeant, fiat in initio conventus vespertini?*

Omnibus placet.

Rev.mus Secretarius: Duo commata can. 1016 de competentia Ecclesiae et de competentia Status debentne fieri duae §§?

Rev.mus quintus Consultor: Supra dixi duas facientes esse §§, nunc autem mihi periculoso videtur; de quibus matrimonii affirmatur competentia auctoritatis civilis?

Rev.mus Secretarius: De matrimonii baptizatorum.

Exc.mus primus Consultor: Duae §§ non placent; si distincta fit § de iurisdictione civili, videri posset ac si Ecclesia Statui iurisdictionem concedat; in textu Codicis nihil apparet de origine competentiae Status.

Adunatio V
die 26 octobris 1966, hor. 17 – 19,40

Rev.mus Secretarius: Suntne alia verba loco «*Baptizatorum matrimonium*» proponenda?

Exc.mus tertius Consultor: Nihil inveni; retineantur verba illa, vel addatur «*etsi altera pars non est baptizata*».

Exc.mus secundus Consultor: Dicatur «*Baptizatorum matrimonia*»: plurale clarius exprimit omnia matrimonia a baptatis contrahenda.

Petuntur suffragia: *Placentne verba «Baptizatorum matrimonium, etsi una tantum pars est baptizata»?*

5 placet, 3 non placet; ergo coetui verba haec placuerunt.

Can. 1017

Rev.mus Relator legit vota et relationem.

Exc.mus primus Consultor: Apud nos sponsalia iuridica non habentur.

Exc.mus tertius Consultor: Canon pertinet ad Caput I, quia agit de iis quae matrimonio praemitti debent; potius res relinquatur iuri particulari.

Rev.mus Secretarius: In voto Rev.mi septimi Consultoris dicitur, Conferentias Episcoporum sapienter de hac re statuere debere; illud «*sapienter*» minus eleganter dictum est.

Exc.mus secundus Consultor: Dicatur ita «*Promissio matrimonii iure communi non amplius vim ullam obtinet nisi iure particulari aliud obtinet*».

Rev.mus quartus Consultor: Institutum retinendum est, ob rationes in voto meo expositas.

Rev.mus Relator: Quaenam est utilitas canonis? Ubinam applicatur?

Rev.mus sextus Consultor: In Sinis et praesertim in Africa sponsalia in usu sunt; ratio habeatur morum illorum populorum; in canone legislatio particularis facienda praescribatur in recto, non in obliquo, «*habita ratione usuum regionis*».

Rev.mus quintus Consultor: Si manent sponsalia, qua forma manebunt? § 3 canonis maneat sicuti est.

Rev.mus septimus Consultor: Confirmat sententiam Rev.mi sexti Consultoris.

Petuntur suffragia: *Placentne retinere canonem de sponsalibus?*
Omnibus placet.

Rev.mus Secretarius: Recolit discussiones de sponsalibus in redigendo

Codice habitas, de vi et de forma eorum, etiam ob diversas de illis leges civiles; explicat ius vigens.

Rev.mus quintus Consultor: Quaestio formae relinquatur Conferentiis Episcoporum, quaestio autem effectuum tractetur, ut nunc, in iure communi.

Rev.mus Secretarius: Explicat sponsalia apud Orientales usitata; nescit an conveniat illa in iure latino recipere; placetne ut can. 1017, § 1 sonet ut in voto Rev.mi sexti Consultoris, scilicet «*Matrimonii promissio seu sponsalia celebretur iuxta leges particulares, quas Conferentiae Episcopales, habita ratione usuum et consuetudinum nec non legum civilium, si quae sint, statuant?*»?

Exc.mus primus Consultor: Ibi deest quod habet Codex de valore sponsalium; addatur ea irrita esse nisi fiant iuxta leges particulares.

Rev.mus Secretarius: Dicitur «*celebretur*»; non est tamen obligatio celebrandi sponsalia.

Exc.mus primus Consultor: Ita, videtur exhortatio; dicatur: «*Matrimonii, promissio seu sponsalitia reguntur iure particulari, de quo Conferentiae Episcopales provideant*».

Rev.mus Relator: In iure futuro, ut supponere licet, aliis Conferentiis, ut nunc Conciliis Provincialibus, tribuetur facultas generalis leges ferendi praeter ius commune; inde talis facultas non in singulis canonibus repetenda est.

Rev.mus sextus Consultor: Secretarius S. Congregationis de Propaganda Fide mihi dixit Ordinarios petere multas facultates quas vi iuris communis vel vi facultatum iam habent.

Rev.mus Secretarius: Si ponitur principium generale de vi promissionis matrimonii, etiam aliquid addi debet de forma et de competentia Conferentiarum Episcoporum, secus in iure vigenti facultas relinquitur singulis Episcopis, non autem Conferentiis.

Exc.mus primus Consultor: Nunc Conferentiae illas tantum habent facultates quae ipsis expresse tributae sunt; ergo etiam in hoc canone mentione fieri debet facultatis statuendi de sponsalitiis.

Suffragationi submittitur § 1 huius tenoris: «*Matrimonii promissio sive unilateralis sive bilateralis seu sponsalitia reguntur iure particulari, quod a competenti Conferentia Episcopalis, habita ratione consuetudinum et legum civilium, si quae sint, statutum fuerit*».

Statim patet coetui hunc tenorem *placere*.

Can. 1017, § 2

Rev.mus Secretarius: Placetne formula a Rev.mo quarto Consultore proposita in voto suo?

Rev.mus quartus Consultor: Estne addendum in textu paragraphi responsum Commissionis Codicis, quod habetur in voto meo?

Rev.mus Secretarius: In nova formula proposita non est necessarium; dicatur: *Ex promissione matrimonii nulla enascitur obligatio iuridica contrahendi matrimonium, salvo iure exigendi reparationem damnorum, si quae habeatur.*

Rev.mus quintus Consultor: Addatur « *nulla enascitur obligatio iuridica in foro externo* ».

Exc.mus primus Consultor: « *iuridica* » iam dicit « *in foro externo* ».

Rev.mus quintus Consultor: Obligatio iuridica est obligatio iustitiae, quae potest esse etiam in foro interno.

Rev.mus sextus Consultor: Dicatur « *non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem, datur tamen etc.* », ut in Codice.

Rev.mus quartus Consultor: Manent tamen dubia in responsis Commissionis Codicis soluta; responsa attuli in voto meo; cf. Sartori.

Rev.mus septimus Consultor: Ad matrimonium contrahendum partes omnino liberae relinquendae sunt.

Suffragiis proponitur: *Placetne formula Codicis, omissis verbis « licet valida sit nec ulla causa ab eadem implenda excuset »?*

Statim patet coetui hanc formulam *placere*.

Can. 1018

Rev.mus Relator legit vota et relationem.

Exc.mus primus Consultor: Canon non agit de iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent; in Concilio Directorium quoddam paratum fuit de hac materia.

Exc.mus tertius Consultor: Abrogetur canon; quoad instructionem sponsorum iam provisum est in can. 1034; hic agitur de populo instruendo; eadem autem norma valet de omnibus sacramentis, ut populus de illis erudiatur; non requiritur specialis canon de matrimonio.

Exc.mus secundus Consultor: Retineatur canon; matrimonium etiam in regionibus christianis in discrimin vocatum est; inde specialis canon opportunus est; dicatur: In qualibet paroecia instituatur dies de sacramento matrimonii pro sponsis et nupturientibus.

Rev.mus quartus Consultor: Retineatur canon.

Rev.mus sextus Consultor: Codex non est alienus a monendo parocho de officiis particularibus.

Petuntur suffragia: *Placetne retinere canonem 1018?*

7 placet, 1 abstinet; ergo coetui *placuit*.

Rev.mus Secretarius: Placetne tenor canonis in voto Exc.mi primi Consultoris propositus, scilicet: «*Pastores officii sui conscientia tenentur, ut munus impertiendi catecheticam instructionem de matrimonii sacramento adimplant iuxta locorum, personarum ipsarumque nuptiarum adiuncta, secundum normas a competenti auctoritate ecclesiastica tradendas*».

Rev.mus quartus Consultor: Verba desumpta sunt ex schemate *De matrimonii sacramento*; ibi dicebatur «*ad sponsos erudiendos*», ergo non ad populum erudiendum; videndum est utrum haec verba hoc loco an potius in canone 1034 ponantur.

Rev.mus Secretarius: Habebatur schema magis extensum de sponsis ad matrimonium celebrandum praeparandis; inde haec verba veniunt.

Rev.mus quintus Consultor: «*Ipsarum nuptiarum*» sunt verba quae referunt ad nuptias celebrandas:

Exc.mus primus Consultor: Utique verba illa fontem tradunt; tamen etiam ipsae nuptiae suas habent difficultates; verbi gratia apud nos ne fiant die sabbati; verba «*iuxta adiuncta*» deleantur.

Rev.mus Secretarius: Loco «*Pastores*» dicatur «*Pastores animarum*». Sic canon coetui *placuit*.

Can. 1015

Rev.mus quartus Consultor quaerit utrum iam suffragatio facta sit de verbo «*ratum*», de quo quaedam proponuntur in voto suo ad hunc canonem. Post discussionem, in qua redeunt argumenta iam supra ad hunc canonem allata, Rev.mo sexto Consultori committitur, ut crastina die canonem 1015 ex integro reformatum proponat, de quo statim petentur suffragia.

Adunatio VI die 27 octobris 1966, hor. 9 – 12.30

Rev.mus sextus Consultor: Exponit novum canonem 1015 huius tenoris:
(§ 1 Matrimonium quodlibet validum dicitur *legitimum*.)

§ 2 (Speciali ratione) matrimonium baptizatorum validum dicitur *ratum*, si nondum consummatione completum est; *ratum et consummatum*, si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro.

(§ 3 Celebrato matrimonio, si coniuges simul cohabitaverint, praesumitur consummatio, donec contrarium probetur.)

§ 4 Matrimonium quodvis invalidum dicitur *putativum*, si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat.

- N. B. 1) Voces sublineatae litteris italicis sunt imprimendae .
- 2) Verba intra parenteses proponuntur discussioni et eventuali approbationi.
- 3) Cetera omnia iam approbata sunt.

Rev.mus Secretarius: Gratias agit Rev.mo sexto Consultori de labore nocte facto, et quod omnibus coetus membris copiam machina scriptam tradidit novi canonis.

Placetne § 1?

Rev.mus quintus Consultor: Verbum « *quodlibet* » posset innuere etiam matrimonium iure tantum civili validum dici legitimum.

Rev.mus Secretarius: Agitur tantum de validitate canonica; explicat quanam matrimonia civilia iure quoque canonico valida sint.

Petuntur suffragia: *Placetne § 1 huius tenoris?*

6 placet, 2 non placet; ergo coetui *placuit*.

Petuntur suffragia: *Placentne verba § 2 « Speciali ratione »?*

4 placet, 4 non placet, Bidagor non placet; ergo coetui *non placent*.

Petuntur suffragia: *Placetne reliqua § 2?*

7 placet, 1 non placet; ergo coetui *placuit*.

Petuntur suffragia: *Placetne ut § 3 ad ius processuale transferatur*

7 placet, 1 non placet; ergo coetui *placuit*.

Rev.mus septimus Consultor: Dispicet omitti verbum ad matrimonium non baptizatorum significandum.

Rev.mus Secretarius: Res iam definita est.

CAPUT DE IIS QUAE MATRIMONII CELEBRATIONI PRAEMITTI DEBENT

CANN. 1019 – 1034

Rev.mus Relator breviter comprehendit vota et relationem; prius petantur sententiae num Caput generalia tantum principia contene-

re debeat, reliquis iuri particulari relictis; deinde agatur de singulis canonibus.

Exc.mus primus Consultor: Caput quam maxime abbrevietur.

Exc.mus tertius Consultor: Maxima pars retinenda est; abbrevietur tamen.

Exc.mus secundus Consultor: Abbrevietur.

Rev.mus quartus Consultor: Plures normae necessariae sunt.

Rev.mus Secretarius: Normae *Instructionis* S. Congregationis de Sacramentis nimis minutae sunt; in Codice poni nequeunt; can. 1020 rem accuratius definiendam relinquit Ordinariis locorum, tamen Codex et *Instructionis* pracepta dant minuta; quidam Episcopi Hispaniae dixerunt Conferentias Episcoporum iam obrui mandatis sibi datis; plura sane in hoc capite ipsis relinqui possunt; estne hoc criterium hic adhibendum? An potius Ordinariis locorum relinquunt?

Exc.mus primus Consultor: Plura ad Directoria remitti possunt.

Rev.mus Secretarius: Directoria possunt esse dioecesana vel regionalia.

Exc.mus primus Consultor: Pleraque iam sunt regionalia.

Rev.mus Secretarius: Videamus singulos canones.

Rev.mus sextus Consultor: In missionibus plura non videntur, ut publications; non singuli canones, sed instituta consideranda sunt, utrum iure communi regenda an ad ius particulare remittenda sint.

Rev.mus Secretarius: Videndo canones, videbimus etiam de institutis.

Can. 1019

Exc.mus primus Consultor: Maneat, cum introductione in voto meo proposita, scilicet: « Ecclesiae officium est pro temporum locorumque necessitatibus matrimonii pericula remedii opportunis praecavere ideoque » etc.

Exc.mus tertius Consultor: Can. 1016 novus haec iam continet.

Rev.mus Secretarius: Loco « Ecclesiae » dicatur « Pastorum animarum »; ceterum de stilo non est nobis agendum, quia hoc ab aliis fiet.

Rev.mus Relator: Non sufficit dicere « constare debet nihil obstat »; oportet addere quibusnam constare debeat, illis scilicet quorum est sponsos ad celebrationem matrimonii admittere; exponit can. 7 huius capituli in relatione.

Rev.mus sextus Consultor: Loco « matrimonii pericula » dicatur « pericula a matrimonio arceantur ».

Exc.mus primus Consultor: Tunc potius positive dicatur « validae a licitae celebrationi cavere ».

Rev.mus sextus Consultor: Dicatur « *omnia pericula a matrimonio valide ac licite celebrando remedii opportunis arcere* ».

Petuntur suffragia: *Placetne forma I: « Pastorum animarum officium est pro temporum locorumque necessitatibus matrimonii pericula remedii opportunitas praecavere, ideoque etc. »; an forma II: « Pastorum animarum officium est pro temporum locorumque necessitatibus omnia pericula a matrimonio valide ac licite celebrando remedii opportunis arcere, ideoque etc. »?*

5 placet forma II, 2 forma I, 1 abstinet; ergo coetui *forma II placuit*.

Rev.mus Secretarius: Placetne forma in relatione proposita, scilicet: « *Quibus officium est nupturientes ad matrimonium in Ecclesia celebrandum admittendi prius constare debet nihil validae ac licitae celebrationi obsistere, ad normam canonum qui sequuntur* ».

Exc.mus primus Consultor: Etiam matrimonio assistantibus et ipsis nupturientibus id constare debet.

Exc.mus tertius Consultor: Adhaeret sententiae Exc.mi primi Consultoris.

Rev.mus Relator: In canone agitur de obligatione canonica, quae in canonibus sequentibus pressius determinatur, non de obligatione morali.

Exc.mus secundus Consultor: Placet forma relationis.

Rev.mus quartus Consultor: Praeplacet forma Codicis.

Rev.mus quintus Consultor: Verba « *in Ecclesia* » superflua sunt.

Rev.mus Relator: Deleantur .

Exc.mus primus Consultor: Verbum « *prius* » superabundat.

Rev.mus Relator: Deleatur.

Petuntur suffragia: *Placetne forma emendata relationis, an forma Codicis?*

4 placet forma emendata relationis, 4 cum Rev.mo Secretario placet forma Codicis; ergo coetui *placuit forma Codicis*.

Exc.mus tertius Consultor: Formae Codicis in fine addatur « *ad normam canonum qui sequuntur* ».

Petuntur suffragia: *Placetne additio?*

1 placet, 7 non placet; ergo coetui *non placuit*.

Can. 1019, § 2

Exc.mus secundus Consultor: Dicatur affirmatio iurata « *coram duobus testibus* ».

Rev.mus quartus Consultor: Praeplacet forma iuris Orientalis.

Rev.mus septimus Consultor: Casui periculo mortis addatur casus urgens, qui frequens est in missionibus, casus urgens scilicet celebrationis.

Rev.mus quintus Consultor: Iuramentum non placet, sufficit declaratio sincera.

Petuntur suffragia: *Placetne retinere § quoad substantiam?*
Omnibus placet.

Rev.mus sextus Consultor: Si casus urgens frequenter occurrat, petant Ordinarii specialem facultatem permittendi solum iuramentum; ne detur in Codice.

Rev.mus Secretarius: In casu urgenti Ordinarii dispensare possunt ab impedimentis et a forma, ergo a fortiori ab investigationibus.

Exc.mus secundus Consultor: Consuetudo est apud nos ut in matrimoniis mixtis pars non catholica iuret se baptizatam esse; item si alterutra pars venit verbi gratia ex Russia.

Petuntur suffragia: *Placetne post «mortis» addere «aut in casu urgentis celebrationis»?*

5 placet, 3 non placet; ergo coetui § placuit.¹

¹ Rev.mus septimus Consultor, die 7 ianuarii 1967, hanc notam misit Secretariae Commissionis Codici I. C. recognoscendo:

In sessione mensis Octobris anni nuper elapsi decisum est cum 5 votis favorabilibus et 3 votis contrariis ut ad can. 1019 § 2 post verba «*in periculo mortis*» addantur «*et in casu urgentis celebrationis*». Contra talem decisionem haec nota simplex adiungatur, quaeso, in actis. En rationes:

1) Additio fuit motivata propter circumstantias omnino extraordinarias, in quibus nulla datur possibilis probationis de certis impedimentis (v.g. ligaminis), quatenus queliber via communicationis est praclusa (ut in nationibus a communista occupatis). His difficultatibus obviandum quidem est, sed non cum ditione omnino generali prout in additione approbata.

2) Inquisitio et probatio, etiam in casibus in 1) recensis, est necessaria circa alias res, quae praemitti debent celebrationi matrimonii.

3) Cum canon sit de iure communi, cum additione approbata via aperta est nimis larga pro omittendis inquisitionibus maximo cum danno disciplinare Ecclesiae. Nota bene: enervatio disciplinae ecclesiasticae hac in re redundat ipsam sanctitatem sacramenti matrimonii.

4) Nova lectio suapte natura inducit latissimam interpretationem et proinde largissimam applicationem, cum vigeat parallelismus cum can. 1043 et 1045.

Conclusio: Vel casus lege peculiari solvatur

Vel intacta relicta § 2 in hoc canone, introducetur nova § seu § 3 his vel similibus verbis concinnata: «*In casu quo de baptismo aut de determinatis impedimentis nulla suppetit possibilis habendi probationes, sufficit affirmatio iurata de baptismo suscepto et de non existentia talium impedimentorum*».

Rev.mus Secretarius: Placetne loco «*affirmatio*» iurata ponere «*affirmatio sincera*»?

Exc.mus primus Consultor: Iuramentum in iure canonico nimis leviter exigi plures censem; simplex autem affirmatio non semper sufficit; dicatur *affirmatio sincera vel, si casus fert, etiam iuramento firmata*.

Petuntur suffragia: *Placetne haec forma?*

6 placet, 2 non placet; ergo coetui *placuit*.

Petuntur suffragia: *Placetne forma «coram testibus iuramento firmata»?*

5 non placet, 2 placet, 1 abstinet; ergo coetui *non placuit*.

Unde nova § sic sonat: «*In periculo mortis aut in casu urgentis celebationis, si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio contrahentium sincera vel, si casus ferat, etiam iuramento firmata, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento*».

N. B. Loco «*iuramento firmata*» dixerunt etiam «*iurata*».

* * *

Can. 1020, § 1

Exc.mus primus Consultor: Remittatur ad Conferentias Episcoporum.

Exc.mus secundus Consultor: Maneat in Codice.

Rev.mus quartus Consultor: Exponit formam voti sui.

Rev.mus sextus Consultor: Inde ab hoc canone res relinqu debent iuri particulari; canon non est practicus; haec vario modo fiunt in variis regionibus; exponit formam voti sui.

Rev.mus quintus Consultor: §§ 1 et 2 continent normas generales: retineantur in Codice.

Rev.mus Secretarius: Iam implicite continentur in can. 1019.

Petuntur suffragia: *Placetne ut § sustineatur, an substituatur ad mentem*

Exc.mi primi Consultoris et Rev.mi sexti Consultoris?

5 placet ut substituatur, 3 placet ut sustineatur; ergo coetui *placuit ut substituatur*.

Rev.mus sextus Consultor: Exponit textum voti sui, scilicet: «*Ordinarii locorum statuant peculiares normas pro investigatione sponsorum et publicatione, si quae est, ita ut parochus, his normis diligenter observatis, procedere possit ad matrimonio assistendum*».

Exc.mus primus Consultor: Facultas statuendi normas etiam Conferentiis Episcoporum danda est.

Exc.mus tertius Consultor: Apud nos multa matrimonia interdioecesana sunt, haud pauca internationalia; ergo requiruntur normae Conferentiarum.

Exc.mus primus Consultor: Proponit: «*Conferentiae Episcoporum statuant normas peculiares quod. attinet ad. investigationes faciendas examine sponsorum, publicationibus matrimonialibus aliisve mediis opportunis, quibus diligenter observatis, parochus procedere possit ad. matrimonio assistendum*».

Omnibus placet.

Exc.mus primus Consultor: Si novus Codex promulgabitur, et normae Conferentiarum nondum datae fuerint, quid iuris?

Rev.mus Secretarius: In promulgatione providebitur annus vacationis.

**Adunatio VII
die 27 octobris 1966, hor. 17 – 19.30**

Can. 1020

Rev.mus Secretarius: Estne adhuc aliquid de hoc canone observandum?

Exc.mus tertius Consultor: Examen sponsorum semper est faciendum; est norma generalis.

Rev.mus Secretarius: Si Conferentiae ita censem, ita statuant.

Rev.mus quintus Consultor: Verba «*procedere possit ad matrimonio assistendum*» sunt superflua; dicatur: «*quas parochi diligenter obseruent*».

Can. 1021

Rev.mus Secretarius: Placetne rem relinquere Conferentiis Episcoporum?

Exc.mus primus Consultor: § 2 maneat in Codice.

Consentient Exc.mus secundus Consultor et Rev.mus sextus Consultor.

Rev.mus quartus Consultor: § 1 in Codice maneat.

Rev.mus Relator: Requisitio documentorum expresse recenseri potest inter media investigationum novi can. 1019.

Petuntur suffragia: *Placetne can. 1021, § 1 relinquere Conferentiis Episcoporum?*

4 placet, 3 non placet, 1 abstinet; ergo coetui *placuit*.

Can. 1021, § 2

Exc.mus primus Consultor: Retineatur in Codice; non agit de investigationibus; est praeceptum ubique necessarium.

Consentient Exc.mi tertius et secundus Consultores.

Rev.mus quartus Consultor: Omittatur.
Consentit Rev.mus sextus Consultor.
Rev.mus sextus Consultor: Ne nimia relinquamus Conferentiis Episcoporum.
Rev.mus quintus Consultor: Retineatur.

Petuntur suffragia: *Placetne can. 1021, § 2 retinere in Codice?*
6 placet, 2 non placet; ergo coetui *placuit*.

Rev.mus Secretarius: Placetne aliquid in canone mutare?
Exc.mus tertius Consultor: Ita, ut est in voto meo: parochus et sacerdos assistens facultatem habeant confirmationem administrandi sponsis; Facultates Decennales S. Congregationis de Propaganda Fide hanc facultatem non continent.

Exc.mus secundus Consultor: Facultas concedenda non est: sacramentum confirmationis non est de necessitate salutis, et potestas Episcoporum non est nimis ad alios extendenda.

Consentient Rev.mi quartus et sextus Consultores.
Rev.mus quintus Consultor: Timendum quoque est ne haud pauci fi-
deles abhorrerentur a matrimonio in Ecclesia contrahendo si parochus confirmationem ipsis administrare deberet.

Exc.mus tertius Consultor: Raro nupturientes nondum sunt confirmati.
Plures Consultores: E contra, frequenter.
Exc.mus tertius Consultor: Fideles erubescunt confirmationem post
matrimonium contractum recipere.

Exc.mus primus Consultor: In voto meo addidi rationem praecepti, his
verbis « *utpote adulis maxime congruum sacramentum* ».

Rev.mus quintus Consultor: Regula est generalis rationem vel exhortationem in canone omittere.

Rev.mus quartus Consultor: Ratio est, potius quam exhortatio.
Rev.mus sextus Consultor: Tendentia est hodie ut confirmatio tardius
conferatur; inde nupturientes quoque minus erubescant illam recipere.

Rev.mus Secretarius: Quaestio in Curia Romana iam agitur: nonnulli
Episcopi, praesertim Europae centralis, petierunt ut post annum 14 vel 16
completum administretur; etiam commissio preparatoria Concilii de
sacramentis de hac re egit; pertinet ad can. 785; desiderant ut confirmatio
non sit sacramentum initiationis, sed sacramentum iuuentutis.

Petuntur suffragia: *Placetne in canone addere verba « utpote adulis maxi-
me congruum sacramentum »?*

3 placet, 5 non placet; ergo coetui *non placuit*.

Petuntur suffragia: *Placetne in canone parochis aliquisque matrimonio legitime assistentibus facultatem dare confirmationem conferendi nupturientibus?*

Rev.mus Secretarius: Ita facultas extenderetur ad personas in nulla dignitate vel munere peculiari constitutas.

Exc.mus primus Consultor: Verba «*parochus... conferat*», ut habet votum Exc.mi tertii Consultoris, praeceptum innuunt; quod non est conveniens.

6 non placet, 2 placet; ergo coetui *non placuit*.

Can. 1022 – 1026

De singulis petuntur suffragia: *Placetne abrogare?*
Omnibus placet.

Can. 1027

Exc.mus primus Consultor: Non agit de procedura investigationum; est norma generalis; retineatur.

Petuntur suffragia: *Placetne retinere canonem?*
Omnibus placet.

Exc.mus tertius Consultor: Recipiatur can. 17 iuris Orientalis, ut est in voto meo, scilicet «*Omnes fideles obligatione tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut loci Ordinario ante matrimonii celebrationem revelandi*».

Exc.mus primus Consultor: Voto Exc.mi tertii Consultoris adhaeret.

Petuntur suffragia: *Placetne haec formula?*
Omnibus placet.

Can. 1028

Exc.mus primus Consultor: § 2 retinenda videtur — Conferentiae Episcoporum nequeunt concedere facultatem dispensandi a legibus aliarum Conferentiarum.

Rev.mus quintus Consultor: Etiam § 1 retinenda est, ob eandem rationem.

Rev.mus Relator: Legislationem de publicationibus commisimus Conferentiis Episcoporum; agitur hic de dispensandis legibus ab illis latis; ergo canon post can. 1019 novum ponendus est.

Rev.mus Secretarius: In § 1 loco «*etiam in aliena dioecesi*» dicatur «*etiam in alia regione*»

Exc.mus primus Consultor: Canon maneat uti est.

Petuntur suffragia: *Placetne can. 1028, § 1 manere uti est?*
Omnibus placet.

Petuntur suffragia: *Placetne in can. 1028, § 2 ponere can. 18, § 2 iuris Orientalis, ut est in voto Exc.mi tertii Consultoris, scilicet «Si plures sint Ordinarii proprii, illius est dispensare in cuius dioecesi matrimonium celebratur; quod si matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, cuiuslibet Ordinarii proprii»?*

Omnibus placet.

Can. 1029

Rev.mus sextus Consultor: Retinendus est sicut can. 1028, ob eandem rationem, scilicet quia Conferentiae Episcoporum normas ubique vigentes dare non valent.

Exc.mus secundus Consultor: Publicationes hodie nullius sunt momenti: ne in propria quidem paroecia nupturientes noti sunt.

Exc.mus tertius Consultor: Omittantur verba «*aut publicationes*».

Exc.mus primus Consultor: Loco «*investigationem*» dicatur «*investigations*».

Rev.mus quartus Consultor: Cur hic tantum canon retinendus est? Sunt alii longe maioris momenti.

Rev.mus Secretarius: Forte non placet verbum «*statim*».

Exc.mus primus Consultor: Dicatur «*in tempore*» vel «*suo tempore*».

Rev.mus Relator: Verba «*Si alius parochus*» supponunt sistema Codicis; forte Conferentiae Episcoporum aliis personis investigationes committent; dicatur «*Si alius*», omissio «*parochus*».

Rev.mus quartus Consultor: Loco «*qui matrimonio assistere debet*» dicatur «*cuius est assistere matrimonio*».

Rev.mus Secretarius: Exponit modum agendi Vicariatus Romani, qui documenta status liberi ipsis sponsis tradere solet.

Exc.mus primus Consultor: Dicatur «*Si alius quam parochus, cuius est assistere matrimonio, investigationes peregerit, de harum exitu quamprimum per authenticum documentum illum certiorem reddat*».

Petuntur suffragia: *Placetne haec formula?*
Omnibus placet.

Can. 1030, §§ 1 et 2

Petuntur suffragia de utraque §: *Placetne abrogare?*
Omnibus placet.

Can. 1031

Rev.mus sextus Consultor: Supprimatur.

Exc.mus primus Consultor: Quaedam continent praecepta generalia, ut § 1, n. 3.

Rev.mus Relator: Immo quasdam normas fundamentales de iudicio post investigationes ferendo, de admittendis scilicet sponsis ad matrimonium in Ecclesia contrahendum necne, et de obligatione parochi removendi obstacula, si possit.

Rev.mus Secretarius: Visne crastina die alium canonem proponere?

Rev.mus Relator: Conabor.

Adunatio VIII
die 28 octobris, hor. 9.30 – 12.30

Rev.mus Relator: Post investigationes iudicium ferendum est de sponsis ad matrimonium in Ecclesia celebrandum admittendis necne; normae huius iudicii hoc loco ponendae sunt; principium generale praebet can. 1035: Omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur; cum verbum «*iure*» latissimo accipiatur sensu, est tautologia: Omnes (legitime) possunt contrahere matrimonium, exceptis iis qui id legitime non possunt; intentio canonis est affirmare ius naturale hominum matrimonium contrahendi tolli vel coarctari non posse nisi ob rationes gravissimas boni publici, verba tamen id non exprimunt; principium autem, neminem a matrimonio in Ecclesia celebrando arceri posse nisi ob rationem iure canonico sancitam, non in capite de impedimentis, sed hoc loco ponendum est: etenim praeter impedimenta sensu stricto, alia quoque validae vel licitiae celebrationi obstare possunt.

Quare sequentes proponuntur canones:

Can. 1031

§1: Omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur (= can. 1035, si omnino retinendus videtur).

§ 2: Nemo catholicus a matrimonio (in Ecclesia) celebrando arceri potest nisi ob causam (rationem) publicam iure canonico sancitam.

Can. 1031 bis

Publicum est, quod in foro externo legitime probari possit; secus est occultum (ex can.1037).

Can. 1031 ter

Parochi, si quid canonice validae vel licitae celebrationi obstare comperti fuerint, id, si fieri possit, removeri current in foro externo, si est publicum, secus in foro interno.

Rev.mus Secretarius: Nonne res Ordinariis demandari potest, ut fit in can. 1034 pro minoribus? Quod ad minores attinet, in iure civili duplex est tendentia, scilicet requirendi et non requirendi consensum parentum; audivi iurisperitos laudantes moderatam solutionem can. 1034; finis huius canonis ad nostram quoque quaestionem spectat.

Rev.mus sextus Consultor: Nunc agimus de can. 1031; quae Rev.mus Relator proposuit, videamus ad can. 1035; 1031 suppressus esse videtur; Conferentiae Episcoporum dabunt normas etiam de sponsis admittendis ad celebrationem matrimonii necne; media can. 1031 ubique apta non sunt; textus, quomodocumque emendatus, aut superfluus erit, utpote nimis generalis, aut odiosus, utpote nimis coarctans competentiam Conferentiarum Episcoporum.

Exc.mus primus Consultor: Verum est; quaedam tamen elementa non ad investigationes pertinent, sed generalia sunt.

Rev.mus Secretarius: Duplex est quaestio: alia an can. 1031 relinquendus sit Conferentiis Episcoporum; alia an alii quidam canones de iure fundamentali matrimonium contrahendi loco can. 1031 ponendi sint.

Petuntur suffragia: *Placetne supprimere can. 1031?*
Omnibus placet.

Can. 1032

Rev.mus Secretarius: Est casus specialis, forte in Codice retinendus.

Exc.mus primus Consultor: Retineatur; clarior fiat notio vagorum, collato canone 1097, § 1, nn. 2 et 3, ut dicitur in voto meo.

Rev.mus quintus Consultor: Canon 1097 est obscurus, non can. 1032; hic non emendandus est, sed ille.

Rev.mus quartus Consultor: Verba «*de quibus in can. 91*» superabundant.

Rev.mus quintus Consultor: Item verba «*vel a sacerdote ab eo delegato*», ut recte habet votum Exc.mi tertii Consultoris.

Petuntur suffragia: *Placetne retinere can. 1032?*
Omnibus placet.

*Placetne delere verba « de quibus in can. 91 »?
Omnibus placet.*

*Placetne loco « numquam » ponere « ne »?
Omnibus placet.*

Unde canon 1032 recognitus ita sonat: *Matrimonio vagorum parochus, excepto casu necessitatis, ne assistat nisi, re ad loci Ordinarium delata, licentiam assistendi obtinuerit.*

Can. 1033

Rev.mus Secretarius: Debetne retineri? Est exhortatio pastoralis.

Exc.mus primus Consultor: Quid de re pastorali in Codice inveniri debet? Multi nos reprehendent, si omnes canones pastorales suppressimus.

Exc.mus tertius Consultor: Confirmat sententiam Exc.mi primi Consultoris.

Exc.mus secundus Consultor: Retineatur, alio tamen loco; in Codice inserendus est canon de die sacro matrimonii ubique celebrando.

Omnis Consultores convenient canonem esse retinendum.

Rev.mus Secretarius: Cann. 1033 et 1034 claudunt Caput; sunt autem indolis valde diversae; placetne canonem 1033 ponere in fine Capitis?

Rev.mus sextus Consultor: De collocatione canonum in fine Capitis agendum est.

Rev.mus Secretarius: Quo modo canon est redigendus?

Exc.mus primus Consultor: Videte votum meum ad hunc canonem et ad can. 1031, § 1, n. 4.

Exc.mus tertius Consultor: In voto meo textum proposui.

Exc.mus secundus Consultor: Praescribatur dies sacra matrimonii in omnibus paroeciis celebranda.

Rev.mus sextus Consultor: Dicatur in genere aliquid de fovendis institutionibus aptis ad populum de sacramento matrimonii instruendum.

Exc.mus primus Consultor: Canon non agit de populo instruendo, sed de sponsis instituendis.

Rev.mus quartus Consultor: Redigatur canon ad mentem schematis conciliaris *De Matrimonii Sacramento*, n. 8, c; ulteriora relinquuntur Conferentiis Episcoporum statuenda.

Exc.mus primus Consultor: Ne nimia imponamus Conferentiis Episcoporum.

Exc.mus secundus Consultor: Quod ad sponsos attinet, rem iam relinquimus Conferentiis Episcoporum; hic de populo instruendo agatur.

Exc.mus primus Consultor: Investigationes reliquimus Conferentiis, non instructionem sponsorum.

Exc.mus secundus Consultor: Instructio haec in praxi simul cum examine sponsorum fieri solet.

Rev.mus Secretarius: Praeter examen praescribi potest instructio; exponeit *Instructionem S. Congregationis de Sacramentis de interrogatione sponsorum*; quae in canone 1033 habentur, post examen veniunt.

Rev.mus Relator: Primum comma canonis retineri potest; alterum comma non habet eandem vim vel valorem; verba « *vehementer adhortetur* » non placent.

Rev.mus Secretarius: Narrat quaedam de praxi instructionis sponsorum in patria sua.

Exc.mus primus Consultor: Praxis instructionis quandam elasticitatem habere debet; apud nos parochi instituerunt cursus sponsorum; ipsis parochis in his rebus quaedam libertas seu autonomia est relinquenda.

Rev.mus Secretarius: In Gallia haec quaestio pastoralis est urgens; Episcopi cedere nolunt « *folklore* » matrimoniorum in Ecclesia celebratorum ob merum usum populararem; assistantiam parochis non permittunt nisi matrimonium civile praecesserit; tantum catholici « *practicantes* » admittuntur ad matrimonium in Ecclesia celebrandum.

Petuntur suffragia: *Placetne retinere primum comma, ut est in voto Exc. militii Consultoris scilicet: « Parochus sponsos, secundum diversam personarum conditionem doceat sanctitatem matrimonii ...»?*

Omnibus placet.

Exc.mus secundus Consultor: Addatur, post « *doceat* », « *rudimenta fidei* ».

Exc.mus primus Consultor: Non sunt obiectum primarium instructio-nis sponsorum; spectat ad Directoria.

Petuntur suffragia: *Placetne addere « rudimenta fidei »?*

6 non placet, 2 placet; ergo coetui *non placuit*.

Exc.mus primus Consultor: Quae proponuntur in voto meo ad can. 1031, § 1, n. 4, forte hic poni possunt.

Rev.mus Secretarius: *Constitutio de Liturgia* concedit sponsis communione sub utraque specie; unde res suum habet momentum; *Instructio S. Congregationis pro Doctrina Fidei de matrimoniis mixtis agit quoque de celebratione liturgica, sed haec ad hunc canonem non spectat.*

Rev.mus Relator: Si visum fuerit alterum comma esse retinendum, non ad parochos, sed directe ad sponsos dirigatur; in genere valet, quotiescumque

praeceptum vel exhortatio spectet ad actiones fidelium; passim dicitur ius canonicum ignorare fideles; convenit ut directe laicos quoque respiciat.

Petuntur suffragia: *Placetne canon huius tenoris: «Parochus curet de paranda celebratione matrimonii, ita ut dignitas sacramentalis eluceat et coniuges ac ceteri adstantes actuose participant ritum sacrum»?*

7 placet, 1 non placet; ergo coetu*p*lacet.

Rev.mus quartus Consultor: Proponit canonem novum:

«Can. 1033. Conferentiae Episcoporum aptas normas statuant tum de cursibus praematrimonialibus habendis, quibus sponsi assistere possint ut debita instructione se praeparent ad matrimonium contrahendum, tum de institutione catechetica nupturientibus impertienda, non mere a parochis aliisque sacerdotibus, sed etiam ab idoneis laicis sive viris sive feminis, (in apto catechismo in quo explicetur doctrina Ecclesiae de matrimonio)» [cf. Votum Concilii, n. 8, c].

Rev.mus Secretarius: In voto Concilii haec in alio contextu legebantur; non fuit sermo de Conferentiis Episcoporum.

Exc.mus primus Consultor: iam provisum in canone 1019 novo.

Rev.mus Secretarius: Ne nimium sermonem faciamus de obligationibus Conferentiarum Episcoporum; iam in M. p. *Ecclesiae Sanctae* tot res illis demandantur ut quidam dixerint ipsas obrui.

Rev.mus sextus Consultor: In documentis Concilii et post Concilium editis iam plus quam centum numerantur casus Conferentiis Episcoporum demandati.

Petuntur suffragia: *Placetne canon propositus?*

8 non placet.

Can. 1034

Rev.mus Secretarius: Supra iam dixi de hoc canone.

Exc.mus primus Consultor: Canon consultit tum autonomiae minorum, qui in hac re sunt sui iuris, tum reverentiae parentibus debitae.

Petuntur suffragia: *Placetne canonem retinere uti iacet?*

Omnibus placet.

Cann. 1031, 1031 bis, 1031 ter (novi)

Rev.mus Relator: Praelegit textus supra allatos.

Exc.mus primus Consultor: Enuntiatio fundamentalis canonis 1035 maneat loco quo nunc est, in initio Capitis de impedimentis; secus hoc Caput caret fundamento.

Rev.mus quintus Consultor: Canon 1035 est norma generalis, ergo ad canones praeliminaires pertinet.

Exc.mus tertius Consultor: Can. 1031 et 1031 bis ad canones praeliminaires pertinent; 1031 ter hic ponatur.

Exc.mus secundus Consultor: Can. 1035 Pertinet ad normas generales.

Rev.mus sextus Consultor: Can. 1035 spectat tantum ad impedimenta, seu ad conditionem personalem contrahentium; verba «*qui iure non prohibentur*» necessario referuntur ad prohibitiones iure statutas, id est ad impedimenta, non ad alia quae validitati vel liceitati matrimonii obstare possunt, ut defectus consensus; ergo si hoc loco vel inter canones praeliminaires ponatur, tenor canonis mutari debet.

Adunatio IX
die 28 octobris, hor. 17 – 19.30

Can. 1013, § 1

Proponuntur formulae a singulis redactae, scilicet:

Exc.mus primus Consultor: «*Contractu matrimoniali instauratur intima vitae et amoris coniugalis communitas, a Creatore condita suisque legibus instructa. Indole sua naturali hoc matrimonii institutum amore coniugalis ad conformatiōnēm interiōrem coniugum mutua sui ipsius donatione perficiendam atque ad procreationem et educationem prolis ordinatur (iisque veluti fastigio coronatur)*

Exc.mus tertius Consultor: «*Matrimonium, utpote intima communio, consuetudo atque communitas seu societas vitae et amoris coniugalis, habet ut primariam sui causam et rationem mutuam coniugum interiōrem conformatiōnēm ac assiduum sese perficiendi studium, et indole sua naturali ad procreationem et educationem prolis ordinatur*

Exc.mus secundus Consultor: «*I. Matrimonium, utpote totius vitae communio et consuetudo, quae ratio quoque eiusdem dici potest, natura sua ad prolis procreationem et educationem ordinatur*

«*II. Matrimonium natura sua ad interiōrem coniugum conformatiōnēm et communionēm atque ad prolis generationem et educationēm tendit*

- Notae: 1. Hoc modo aufertur distinctio finium et ipsum nomen finis.
 2. Edicitur prioritas rationis matrimonii, nam Deus Creator propterea creavit mulier, quia «non est bonum homini esse solum» (*Gen. 2, 13*), et *postea imposuit praeceptum «Crescite et multiplicamini».*
 3. Communio coniugum re quoque praecedit procreationem.

Rev.mus quartus Consultor: «*Primaria matrimonii causa et ratio sunt mutua coniugum interior conformatio assiduumque sese invicem perficiendi studium in intima communitate vitae et amoris coniugalis, (a Creatore condita suisque legibus instructa,) quae (foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali instauratur, et) indole sua naturali ad procreationem et educationem prolis ordinatur».*

Notanda: 1. Desumpta sunt verba *sublineata* ex Litt. Enc. *Casti Connubii*, et verba inter ‘...’ posita ex Const. Past. *Gaudium et spes*, Pars II, Cap. 1, n. 48.

2. Verba inter uncos rotundos () posita omitti possunt.
 3. Formula brevior esset: ... *mutua coniugum interior conformatio et perfectio...*

Rev.mus septimus Consultor: «*Matrimonium est contractus, in quo nuptrientes per liberum consensum sibi mutuo tradunt et acceptant jus in corpus, perpetuum et exclusivum, IN ORDINE ad conjugalem societatem instaurandam, quae sua naturali indole tam ad prolis procreationem et educationem quam ad intimam conjugum conformationem et communionem ordinatur».*

Rev.mus quintus Consultor: «*Matrimonii causa primaria est intima vitae coniunctio inter virum et mulierem, quae indole sua naturali (inseparabiliter) ad procreationem et educationem prolis ordinatur».*

Rev.mus sextus Consultor: Laudat conamina canonem exigentiis modernis accommodandi; elementa autem hucusque collata desumpta sunt ex constitutione pastorali, quae consulto evitavit definire aspectum canonicum matrimonii, ut abunde patet ex modis; affert eorum textum; specialis instituta est commissio pontificia ad has quaestiones tractandas; nunc nobis hic labor nimis difficilis est; exspectemus conclusiones illius commissionis.

Rev.mus Secretarius: Forte sic responderi potest, iam Rev.mus quintus Consultor dixit laborem nobis esse leviorem si Summus Pontifex declaracionem dedisset; nos in hanc declarationem ingredi non possumus; unde re-

dactio canonis nostri erit tantum provisoria; in hac re concordes sumus; tamen tentamen aliquod facere possumus; videamus elementa formularum propositarum, incipientes a brevioribus, deinde complendis, si visum fuerit, ex longioribus; quid vobis videtur de formulis Exc.mi secundi Consultoris?

Exc.mus primus Consultor: In formula I finis personalis in obliquo tantum enuntiatur; dicitur ratio quaedam; praferenda est formula II; dicitur autem communionem *vitaे*: coniunctio non est mere biologica, sed personalis.

Exc.mus secundus Consultor: Interior conformatio et communio totam unionem significant.

Rev.mus Secretarius: Conformatio est formatio alicuius rei secundum formam alterius.

Exc.mus secundus Consultor: Loco «*conformationem*» dicatur «*consuetudinem*».

Exc.mus primus Consultor: Intima consuetudo seu communio non est finis, sed matrimonium ipsum; elucere debet finis personalis; hic non edicitur.

Rev.mus Secretarius: Hic non agitur de definiendo matrimonio, sed de definiendo fine in quem tendat.

Exc.mus tertius Consultor: Composui canonem ex enc. *Casti connubii* et ex constitutione *Gaudium et spes*; duo verba necessaria sunt, scilicet «*communio*» et «*societas*» (vel «*communitas*»): communitas consequitur communionem; saltem dicatur «*matrimonium, utpote intima communitas vitaे et amoris coniugalis*», deinde exprimatur duplex finis.

Rev.mus quintus Consultor: In hoc canone nihil ponni potest, quo negato, matrimonium non fit invalidum.

Rev.mus Secretarius: Paululum latius exponit sententiam Rev.mi quinti Consultoris.

Exc.mus primus Consultor: Hoc attente consideravi in formula a me proposita; qui volunt concedere ius ad copulam in finem procreationis tantum, exclusa unione personali, non volunt matrimonium.

Rev.mus sextus Consultor: Si conformatio est de substantia matrimonii, multa matrimonia, nunc valida habita, invalida sunt.

Rev.mus quartus Consultor: Formula explicite et directe dicat ad quid matrimonium ordinetur, ad procreationem scilicet et ad conformatiōnem mutuam; indirecte dicatur quid sit matrimonium, sive in fieri, sive in facto esse.

Rev.mus Secretarius: Valde periculosum est introducere elementum ita incertum, definitionem dico matrimonii, in canonem.

Rev.mus sextus Consultor: In constitutione Concilii nulla datur hierarchia finium.

Rev.mus Secretarius: Procreatio certo est finis primarius; quaestio est num mutuum adiutorium eiusdem sit ordinis; haec societas tenditne ad utrumque?

Rev.mus Relator: Contractus ad filios procreandos – ut apud nonnullos populos adhuc existit – non est matrimonium (christianum); unde finis primarius nequit esse sola procreatio; insuper si, statim post matrimonium contractum, clare apparet cohabitationem coniugalem partibus moraliter esse impossibilem, mihi saltem valde dubia est matrimonii validitas.

Rev.mus sextus Consultor et Exc.mus secundus Consultor: Est validum.

Exc.mus primus Consultor: Ius in corpus ordinatur ad amorem et ad procreationem; amor non est tantum finis, sed etiam elementum matrimonii constitutivum.

Exc.mus tertius Consultor: Amor iam est in ipso contractu, tendit autem ad ulteriorem sui perfectionem.

Rev.mus quartus Consultor: Matrimonium ex odio initum, estne validum?

Rev.mus quintus Consultor: Ad quid Creator matrimonium instituit? Ad intimam consuetudinem et ad procreationem.

Exc.mus primus Consultor: Verum est Concilium non voluisse definire fines matrimonii; tamen aliquid de illis edicere voluit.

Rev.mus Relator: Constitutio Concilii describit quoddam ideale, in quo tamen continetur aliquid essentiale; canonistarum est definire vel aliquo modo describere quid sit illud essentiale seu minimum, quo deficiente Ecclesia contractum vel vinculum non agnoscit ut matrimonium; agitur de elemento humano, non stricte definiendo, sed moraliter aestimando; unde dixerim:

Si vir et mulier aut excludant vitam coniugalem normalem, aut moraliter sint incapaces ad illam sustinendam, matrimonium est invalidum.

Rev.mus sextus Consultor: Ergo vir, ad carcerem perpetuum condemnatus, incapax est ad matrimonium contrahendum; item certo et brevi moriturus.

Rev.mus Relator: Sunt rationes omnino extrinseciae, quae nihil videre habent cum voluntate vel capacitate partium.

Rev.mus Secretarius: Conemur confidere formulam omnino provisorię ex variis elementis propositis, verbi gratia ex formula Rev.mi quinti Consultoris: «*Matrimonii causa seu ratio primaria est intima vitae et amoris coniunctio inter virum et mulierem, quae indole sua naturali ad procreationem et educationem prolis ordinatur*»; quid addendum?

Exc.mus primus Consultor: Sic quod in canone directe exprimendum est, in obliquo tantum dicitur.

Rev.mus Relator: Dicatur ita: «*Matrimonium ordinatur ad consortium vitae coniugibus proprium atque ad procreationem et educationem prolis.*»

Rev.mus septimus Consultor: In instituto matrimonii alia sunt primaria, alia secundaria; num nunc omnia aequalia facere volumus?

Rev.mus sextus Consultor: Cum crastina die venire impediatur, nunc iam dico canonem 1035 esse omnino fundamentalem, et manere debere in initio Capitis de impedimentis.

Adunatio X
die 29 octobris, hor. 9.30 – 10.30

[Abest Rev.mus sextus Consultor].

Rev.mus Secretarius Commissionis proponit alteram sessionem habituram probabiliter dd. 2 – 8 april, 1967.

Can. 1013, § 1

Rev.mus septimus Consultor: Exponit formulam suam; oportet definire essentiam contractus matrimonialis.

Rev.mus Secretarius: De ea tractabitur ad can. 1081.

Rev.mus quartus Consultor: Proponit: «*Contractu matrimoniali instauratur inter virum et mulierem intima communitas vitae, quae in sole sua naturali ad mutuam coniugum perfectionem atque ad procreationem et educationem prolis ordinatur.*»

Exc.mus primus Consultor: Nonne S. Congregationem pro Doctrina Fidei adire debemus? Est quaestio theologica.

Rev.mus Secretarius: Ipsa intra sex menses nobis respondere non poterit; ceterum Commissio Pontificia ipsa aliud dicasterium adire nequit, tantum Summum Pontificem; alia quaedam commissio quandam quaestionem proposuit commissioni, cui interpretatio authentica Concilii demandata est.

Can. 1031 (novus)

Rev.mus Relator: Nemini placet ut canon 1035 hoc loco ponatur; utrum ad canones praeliminares sit transferendus necne, ad can. 1035 videbimus; nunc agatur de § 2: «*Nemo catholicus a matrimonio in Ecclesia celebrando arceri potest, nisi ob rationem (causam) publicam a iure canonico sancitam.*»

Rev.mus quintus Consultor: Causa publica non est semper necessaria: parochus, extra forum sacramentale sciens, sponsam metu gravi cogi, vel sponsos esse consanguineos ex copula illegitima, vel virum esse impotentem, vel alia huiusmodi, quin illa in foro externo probare possit, assistentiam denegare tenetur; porro omittatur verbum «*catholicus*».

Exc.mi secundus et tertius Consultores et Rev.mi quartus et sextus Consultores sententiae Rev.mi quinti Consultoris adhaerent.

Rev.mus Relator: Placet verbum «*catholicus*», cum ipsi tantum ius sit ut parochus assistat; omitti tamen potest, cum nullius sit momenti practici; minime tamen placet parochum assistentiam recusare posse ob rationem, quam probare in foro externo nequeat.

Rev.mus Secretarius: Occasione verbi «*catholicus*» exponit competentiā Ecclesia in matrimonia dispara.

Petuntur suffragia: *Placetne omittere verbum «catholicus»?*
Omnibus placet.

Rev.mus Secretarius: *Quid de vocabulo «publicam»?*

Exc.mus primus Consultor: Ab utraque parte rationes seriae afferuntur; quo modo parochus in foro externo actum ponere potest, cuius ratio in foro externo probare nequit?

Rev.mus Secretarius: Quondam in processu beatificationis confessarius imprudens declaravit Servum Dei ipsi grave confessum esse peccatum; Pates Congregationis alii censebant id in processu ignorari debere, alii contra scientiam, etsi ex fonte indebito acquisitam, iam ignorari non posse.

Rev.mus quintus Consultor: Excluditur casus sigilli sacramentalis; item casus quod parochus scientiam habet ex examine sponsorum, unde ut testis authorizabilis, qui plenam facit probationem in foro externo; quaestio est num parochus possit ac debeat recusare assistentiam ex scientia mere privata, dum probatio in foro externo desit; vi can. 1019 et potest et debet.

Rev.mus Secretarius: Forte can. 1019 intendit *canonice* constare debere nihil celebrationi matrimonii obsistere.

Exc.mus tertius Consultor: Parochus potest denegare assistentiam ex informata conscientia.

Exc.mus primus Consultor: «*Ex informata conscientia*» non dicit rationes probari non posse, sed revelari non debere; ego numquam ferrem sententiam ex informata conscientia si rationem in foro externo probare non possem.

Rev.mus Secretarius: Si quis omnino secreto actum externum ponat haeresis, potestne in foro externo puniri?

Quaestio breviter discutitur.

Rev.mus Relator: Quid si sponsus actionem instituat ut ius suum ad matrimonium contrahendum declaretur? Vel contra parochum agat ob asistentiam iniuste denegatam? Vel ad Episcopum recurrat?

Quaestio breviter discutitur.

Exc.mus tertius Consultor: Agitur de bono publico, ergo parochus secretum revelare potest.

Exc.mus primus Consultor: Non agitur de licita revelatione, sed de impossibilitate probationis.

Rev.mus Secretarius: Si parochus ex dispensatione solus assistat matrimonio, eius testimonium de matrimonio celebrato plenam in iure facit probationem.

Rev.mus Relator: In iure vigenti, si impedimentum occultum detectum fuerit, res in foro interno tractanda est, vi can.1031, § 2, 1°; num in illo foro decerni potest publica denegatio assistentiae?

Rev.mus Secretarius: In illo canone agitur de impedimento, in textu proposito agitur de ratione vel causa.

Rev.mus Relator: In canone *impedimentum* idem significat ac *ratio* in textu, scilicet quidquid validae vel licitae celebrationi obstet.

Rev.mus quintus Consultor: Dubium est utrum verbum *occultum* in illo canone sensu stricto adhibeatur, quod scilicet non probari possit in foro externo.

Petuntur suffragia: *Placetne formula proposita?*

6 non placet, 2 abstinet; ergo coetus *non placuit*.

Praeses gratias agit omnibus de intenso labore et de animo fraterno coetus; omnes gratias agunt Praesidi de perito et iucundo praesidio.

Ad sensum eorum quae in Sessionibus praecedentibus dicta sunt canonis CIC 1012–1034 ita proponuntur recognoscendi:

Can. 1012

§ 1. Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimoniale inter baptizatos.

§ 2. Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum.

Can. 1013

[De canone hoc multa fuerunt conamina novae redactionis uti videri potest in corpore relationis, Formulae circa quas habitas est aliqualis concordia Consultorum, cum proposito tamen ulterioris studii et discussionis, sunt illae a Rev.mis Relatore et quinto Consultore propositae, id est:

- « Matrimonii causa et ratio primaria est vitae et amoris coniunctio inter virum et mulierem indole sua naturali ad procreationem et educationem prolis ordinata » (Rev.mus quintus Consultor).
- « Matrimonium ordinatur ad consuetudinem vitae coniugio propriam atque ad procreationem et educationem prolis » (Rev.mus Relator).]

Can. 1014

Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur, salvo praescripto can. 1127.

Can. 1015

§ 1. Matrimonium quodlibet validum dicitur legitimum.

§ 2. Matrimonium baptizatorum validum dicitur ratum, si nondum consummatum completum est; ratum et consummatum, si inter coniuges locum habuerit coniugalnis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro.

§ 3. Matrimonium quodvis invalidum dicitur putativum, si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars eiusdem nullitate certa evadat.

Can. 1016

Matrimonium, utpote humanae consortio principium et fundamentum, civilem quoque societatem spectat; sed cum matrimonium inter baptizatos initum adnumeretur inter novae legis sacramenta, disciplina eius et cura, quod ad integratatem sanctitatemque attinet, a Christo Ecclesiae commissae sunt. Matrimonium baptizatorum, etsi una tantum pars sit baptizata, regitur iure non solum divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus.

Can. 1017

§ 1. Matrimonii promissio sive unilateralis sive bilateralis seu sponsalitiae reguntur iure particulari, quod a competenti Conferentia episcopali, habita ratione consuetudinum et legum civilium, si quae sint, statutum fuerit.

§ 2. Ex matrimonii promissione non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si qua habeantur.

Can. 1018

Pastores animarum officii sui conscientia tenentur, ut munus imperiendi catecheticam instructionem de matrimonii sacramento adimpleant, secundum normas a competenti auctoritate ecclesiastica tradendas.

Can. 1019

§ 1. Pastorum animarum officium est pro temporum locorumque necessitatibus omnia pericula a matrimonio valide ac licite celebrando remediis opportunis arcere, ideoque antequam matrimonium celebretur constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere.

§ 2. In periculo mortis vel casu urgentis celebrationis si aliae probations haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio contrahentium sincera et, si casus ferat, etiam iurata, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento.

Can. 1020

Conferentiae Episcoporum statuant normas peculiares quod attinet ad investigationes faciendas examine sponsorum, publicationibus matrimonialibus aliisve mediis opportunis, quibus diligenter observatis, parochus procedere possit ad matrimonio assistendum.

Can. 1021

Catholici qui sacramentum Confirmationis nondum receperunt, illud, antequam ad matrimonium admittantur, recipient, si id possint sine gravi incommodo.

Cann. 1022–1026 abrogantur.

Can. 1027

Omnis fideles obligatione tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut loci Ordinario, ante matrimonii celebrationem, revelandi.

Can. 1028

§ 1. Loci Ordinarius proprius pro suo prudenti iudicio potest ex legitima causa a publicationibus etiam in aliena dioecesi faciendis dispensare.

§ 2. Si plures sint Ordinarii proprii, illius est dispensare in cuius dioecesi matrimonium celebratur; quod si matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, cuiuslibet Ordinaria proprii.

Can. 1029

Si alius quam parochus, cuius est assistere matrimonio, investigationes peregerit, de harum exitu quamprimum per authenticum documentum certiore illum reddat.

Can. 1030 supprimitur.

Can. 1031 supprimitur.

[Rev.mus Relator proponit ut quae in can. 1035 habent hoc loco ponantur atque aliis dispositionibus ita integrerentur:

§ 1. Omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur.

§ 2. Nemo a matrimonio in Ecclesia celebrando arceri potest nisi ob causam publicam iure canonico sancitam.

Can. 1031 bis. Publicum est quod in foro externo legitimate probari possit; secus est occultum.

Can. 1031 ter. Parochi, si quid canonice validae vel licitae celebrationi obstare comperti fuerint, id, si fieri possit, removeri current in foro externo, si est publicum; secus in foro interno.

[N.B. Circa propositionem hanc Rev.mi Relatoris multum disceptatum est sive de merito side de opportunitate transferendi can. 1035. Ulterior discussio demandata est ad proximam sessionem].

Can. 1032

Matrimonio vagorum parochus, excepto casu necessitatis, ne assistat, nisi, re ad loci Ordinarium delata, licentiam assistendi obtinuerit.²

Can. 1033.

§ 1. Parochus sponsos, secundum diversarum personarum conditio-
nem, doceat sanctitatem matrimonii, mutuas coniugum obligationes et
obligationes parentum erga prolem.

§ 2. Parochus curet de paranda celebratione matrimonii, ita ut dignitas
sacramentalis eluceat et coniuges ac ceteri adstantes actuose participant ri-
tum sacrum.

Can. 1034

Parochus graviter filiosfamilias minores hortetur ne nuptias ineant, in-
sciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum matri-
monio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario.

² Eodem modo procedi debet ad assistendum matrimonii, quibus obstabat impedimentum
criminis, ex adulterio et attentatione matrimonii civilis, de quo in can. 1075, n.1 suppresso.
(Ita omnes Consultores proposuerunt in Sess. III^a diei 16 novembris 1967).

